



Clavis philosophiae naturalis antiquo-novae

<https://hdl.handle.net/1874/31208>

C L A V I S

Philosophiæ Naturalis

Antiquo - Novæ.

661 E 23

Autore

JOHANNE TATINGHOFF,

Lib. Art. Magistro, & Facultatis Philosophicæ Academiæ Witebergensis
Affessore.

Accessit in fine duplex Index, Quæstionum, & Rerum.

Doublotte
der
K.U.-Bibl.Erl.



AMSTELODAMI,

Impensis ABRAHAMI DE WEES, Bibliopolæ in platea, vulgo dictâ, de Gasthups Mo-
len Steegh/ Anno 1655.

V I R O

Amplissimo, Consultissimo, & multarum
rerum usū Experiētissimo

DN. FRANCISCO
VAN BORN,

I. U. D. & Supremi Senatus,
qui est Hagæ-Comitis, Assessori
gravissimo, Cognato, & Fau-
tori honorando.



Oc beato nunc vi-
vimus seculo, *Vir*
amplissime, quo lon-
gè ab armorū stre-
pitū remoti, sub
dulcissimæ PACIS tutela, Lite-
ris, aliisque studiis operam dare
cuivis licet. Deus hanc nostram
felicitatē, quam etiam devotis,
& piis suspiriis ab eo quotidie
* 2 flagi-

flagitamus , perpetuam esse
velit! Hoc enim sibi velut pro-
prium studia,& Literæ habent,
ut otia quærant , & pacifica
tēpora ament , sub quibus solis
florere,& latè se diffundere so-
lent : Testis BELGIUM hoc no-
strum, esse potest : ab eo nam-
que tempore, quo Pace frui ei
licuit, ad invidiam , & aliarum
quoq; Gentium stuporem us-
que, Artes,& Literæ, incremē-
ta maxima sumpserunt. Ut de
Iuris-Prudentiâ, Arte Medica ,
& Philologia jam nihil dicam,
quantis accessibus hodiè aucta
est *Philosophia* & quanta lux ipsi
affulsit ! tenebræ meræ erant,
quæ ante seculum sub Forma-
rum , & Qualitatum occulta-
rum

rum specie, in *Scholis* docebantur à *Scholaſticis*, nobis quoque, præter multa alia verborum Monstra, non nisi innumerās Quidditatis, Entitatis, & Hęceitatis, seu Ecceitatis relinquentibus. At, Deo sit Laus, quod his tandem discussis tenebris, & hoc Augiæ stabulo repurgato, eâ nunc fruamur Philosophiâ, quæ principiis claris, manifestis, & facilibus constat, quæque accessum nobis præbet, absque ullis verborum involucris, ad intima, & *Antiquis*, *Aristoteliq*_s, inaccesfa, Naturæ penetralia. Mirantur *Veteres*, suum *Democritum*, *Empedoclem*, *Anaximandrum*, & *Anaxagoram*: mirantur *Aristotelem*,

lem, postquam ejus scripta à *Carolo Magno* publicè legenda, Academiis proposita fuerunt, *Aristotelici*. Neq; sanè debita istis Viris gloria detrahenda. Sed majori tamen admiratione dignus illustris Vir, *Renatus des Cartes*, qui solus tantum in Naturæ inquisitione præsttit, quantum, aliquot retro seculis, nemo aliis: Hic verò, postquā viginti, & quod excurrit annos, Egmondæ, Endegeestæ, Amstelodami, Lewardæ, Daventriæ, Harderwici, Ultrajecti, & Lugduni-Batavorum commoratus fuisset, eam nobis dedit Philosophiam, quæ sola *inaccessum per plurima secula verum*, *Eruit è terris longæ caliginis umbris.*

umbris Ego, postquā in ejus incidi philosophiam , non tantum avidè eam perlegere ; sed etiam, rejecta Peripatetica Philosophia, quā in *Gymnasio Amstelodamensi* imbutus olim eram, pro eā illā habere cœpi , quam imposterum sequi mihi decernebam : non, ut novo Servitutis jugo collum meum subderem ; sed ut cum *Heröe illo*, depositis Infantiae præjudiciis, à primis, & simplicissimis notitiis exorsus , examinarem omnia, & singula ; atque, si ea cum recta ratione convenire observarem, sequerer : Quod pro virili etiam à me factum est. Nec sine fructu , *Numine propitio*, ea philosophandi Me-

thodus mihi cessit : nam per
eam id consecutus sum, quod,
quamdiu in peripatetico luto
hærebam, consequi nunquam
potui: nempè, claram , distin-
ctam , & certam multarum
Veritatum cognitionem. Quas
cum aliquoties , Auditoribus ,
& Collegis meis proposuif-
sem, autores , & adhortatores
fuerunt , ut Systema aliquod
physicum in lucem emitte-
rem : quod, *Vir Amplissime*, à
me nunc factum vides. CLA-
VEM enim edo, quæ pluribus
Veritatibus, quām in ea conti-
nentur, patentes fores præbe-
bit. Faxit Deus , ut Nomiini
ejus ea sit gloriofa, & Reipub-
licæ Literariæ , salutaris. TIBI
verò

verò eam offerre & volui , &
debui , tum ob Necessitudinis
vinculum , quod inter nos est ,
tum quoque ob plurima hu-
manitatis officia , quæ nobis ,
nostrisque aliquoties exhibu-
isti promptus . Est quidem o-
pusculum hoc meum , si folia
spectes , exiguum ; sed , si Ar-
gumenti excellentiam æsti-
mes , maximum , tantoque *Vi-*
ro , qualem Te judicat nostra
Patria , dignum : Accipe igi-
tur illud eo , quo offertur , ani-
mo candido , & fronte serena ,
Meque , & Nostros ulteriori
tuo favore prosequi non de-
digneris : Deus O. M. Te ,
& Familiam tuam splendidam
largo Benedictionum imbre

riget, prosapia meq; VAN BORN,
longa, & perpetua Sobolum
ferie augeat. Amen! quo vo-
to finio,

Ex Museo meo A. 1655.

17 Kal. Iunij.

*Mansurus semper tuarum
Virtutum Cultor*

M. JOH. TATINGHOFF,
Enchusâ-Batavus.

P R A E-

P R A E F A C T I O

Ad

L E C T O R E M.

Candide, & humane Lector.

SIsto TIBI Philosophiae naturalis Clavem: Quid autem ad eam edendam me permoverit, tuum interest scire, ut tanto aquius de rebus nostris judices. Contigit enim, ut cum Anno 1652. me Witebergam, studiorum Theologicorum continuandum gratia, conferrem, mox post meum in eam iugressum, adhortatu honestissimorum juvenum, varia aperirem Collegia philosophica; licet autem moris eo loco esset, Autores ibi legi consuetos, sequi, cum tamen ad Physicam esset perventum, à me impetrare non potui, ut hoc facerem: judicabam enim, Artium Magistrum bona Conscientiam Auditores suos ea docere non posse, quæ ipse existinaret, nec cum Veritate, nec cum communi Experientia convenire. Ut rigitur & Mihi, & Studiofis satisfacerem, Cl. Sperlingii Synopsin Physicam explicui primò verbotenus, posteaque eam à capite ad calcem examinavi, modestè quidem, attamen & generose, juxta principia PHILOSOPHI nostri R. Cartesii, quem unicum in Philosophia Veritatis vindicem, & assertorem esse rebar: Quod negotium cum primâ, & alterâ vice feliciter, Deo adjuvante, succederet, petierunt à me nouu-

PRÆFATIO

li, nostra philosophandi rationi admodum addicti, ut compendium Physicæ Cartesiana ipsiſ ad calamum dictare: suscepſ quidem lubens hoc onus, & jam, excepta doctrinâ Meteororum, ad umbilicum serè deduxeram, cum, ecce, ex Consilio Parentum, Straesburgum mihi commigrandum eſſet (quod tamen consilium, cum domi eſſemus, certis de causis, immutatur) ut ita opusculum hoc nec perficere, nec, ut decebat, accuratori limâ, accidente curâ secunda, polire mihi liceret: *Quid factum?* Ante, & sub abitam meam rogarunt, orarunt, multisque precibus à me contendebunt mei Studiosi, ut Methodo facili, & ad captum ipſorum accommodata, sub pralum brevi typis describendum darem, Systema physicum secundum principia Cartesi: Ego quamvis velut ex ſpeculâ præviderem, negotium hoc non niſi magnas molestias, invidiam, & aliquorum etiam rabiem, & fuorem, poſt ſe tracturum, jacta tamen jam alea, duce DEO, illud aggrediendum, animatus, & ad hoc instigatus quoque literis alio. um, ratus ſum, ut plenè petitioni, Boruſſorum, Hungarorum, & Saxonum - Transylvanorum candidè ſatisfacerem: *Habes nunc cauſam,* LECTOR, *cur impreſentiarum, Philosophia naturalis Clavem generalem in lucem ediderim: Si ea tibi placuerit,* ſuo tempore, habebis Clavem ſpecialcm. *Vos verò, o Bo-*ruſſi, Hungari, & Transylvani, labori, & studio huic noſtro favete imprimis, ut quod Vestri cauſa ſuceptum ma- xime: *Omnia hīc vobis exhibentur clara, perſpicua, facilia,* ab omnibus intelligibilia. Per Praecepta, & Questiones à me reſ tota absolute eſt: *Omnia, verbo, ad captum vestrum accommodata.* Praecepta pauca ſunt, que vobis judicabam ſufficere: questiones omnes neceſſariae, & fructuofæ, nulla spinofæ, & nugatoria. Controversias etiam ab aliis in- ſtitu-

Ad Lectorem.

stitutas, secundum nostra communia principia, examinavi: earum tamen autoribus honorem, & reverentiam, ipsis debitam, detuli. Neque hoc mihi vitio quisquam vertet: sicut enim libera oportet esse philosophandi ratio: ita & dogmatum, & sententiarum philosophicarum examen. Nec graves, & molesti mihi erunt Viri illi Clarissimi, si iterum modestè, & candidè mea examinare dignati fuerint, quin potius honori mihi hoc ducam, & rei literariae salutare: ex serio enim examine, sicut ex silice scintilla, elicetur Veritas, eaque per illud magis, ac magis confirmatur, & stabilitur. Et, si y, qui à nobis nunc dissentient, imposterum in indagine Veritatis, & examine quarundam questionum, observare velint paucas illas Philosophi nostri regulas Logicas, qua inveniuntur dissertat. de Methodo p. 16. na inven-
tis ijsdem, quibus nos utimur, principijs, lubentes, & hilares in easdem nobiscum incident aliquando Veritates: indoles enim, & natura nostræ Philosophie, eadem est, que Matheeos. Videlicet omnes, qui, per certas regulas, ad cognitionem, & perceptionem ejus principiorum pervenient, neceſſario in easdem nobiscum Conclusiones, ac Veritates incidere debent. Regulas has, in exterorum gratiam, quorum multi, Philosophi nostri scriptis carent, adscribam.

Regula prima. Ut nihil unquam nisi verum admittatur, nisi quod certò, & evidenter, verum esse cognoscamus: hoc est, ut omnem præcipitantiam, atq; anticipationem in judicando diligentissimè vitemus, nihilque amplius conclusione complectamur, quam quod tam clare, & distinctè rationi nostræ patet, ut nullo modo in dubium possimus revocare.

Regula altera. Ut difficultates, quas sumus examinaturi, in tot partes dividamus, quot expedit ad illas commodius resolvendas

Re-

PRÆFATIO

Regula tertia. Ut cogitationes omnes, quas Veritati quærendæ impendimus, certo semper ordine promoteamus: incipiendo scilicet à rebus simplicissimis & cognitu facillimis, ut paulatim, & quasi per gradus ad difficiliorum, & magis compositarum cognitionem ascendamus; in aliquem etiam ordinem eas mente disponendo, quæ se mutuò ex natura sua non præcedunt.

Regula postrema, & quarta. Ut tum in quærendis mediis, tum in difficultatum partibus percurrendis, tam perfectè singula enumeremus, & ad omnia circumspiciamus, ut nihil à nobis omitti, simus certi.

His te nunc dimitterem, Candide Lector, nisi quadam restarent monenda: Nempè, feci aliquoties mentionem materia cœlestis, & subtilis, & per eam multa optima, & præclara effecta explicui, & gravissimas questiones enodavi, nec tamen, vel ortum, vel naturam hujus materia explicui alibi: quod contra propriam nostram methodum esse videtur: docemus enim, nullam Veritatem demonstrari debere, nisi exclare, & distinctè perceptis: fateor hac in re me aliquantulum à nostra consueta philosophandi methodo recessisse. Sed nec fieri aliter potuit, si questiones illæ de motu descensorio ac ascensorio corporum, item, de existentia vacui, &c. solvenda essent: Et qui hujus operis adhortatores fuerunt, hoc voluerunt, & petierunt, ut & illas questiones in parte generali tractarem, quæ vulgo à Philosophis ibi tractari solent: cui petitioni quamvis in omnibus nolui obsequi, non potui tamen non, in quibusdam, ijs locum dare: nam Amicorum petitæ, mihi sèpè pro Lege sunt. Assumpsi igitur Materiam cœlestem ad tempus, ut Hypothesin aliquam, imposterum, in speciali parte demonstrandam; sed quia adhuc incertum est, quando

Ad Lectorem.

quando ea lucem aspiciet, ob febrim tertianam intermittem, qua nunc affligor, placuit paucis ejus ortum, & naturam hoc loco describere: Notandum igitur, creatam illam, in inicio, indefinitam Extensionis molem, à Deo motam, & secundum varias, & minutissimas particulas divisam fuisse: quæ particulae non quidem omnes figuræ sphæricaæ esse potuerunt, sic enim inter interstitia plurium globulorum conjunctorum, indefinita spatiola vacua dari debuissent, & etiamnum deberent, quod absurdum esse, suo loco ostendimus. Sed cujuscunque tamen tunc figuræ fuerint, non potuerunt non tandem fieri sphæricaæ: abrasio namque, & attritus angulis, ob earum in se invicem, collisiones & impulsus, facile concipi potest, eas tandem fieri debuisse rotundas: angulus enim hoc loco nihil est aliud, quam omne illud, quod ultra figuram sphæricam prominet: Et sic globuli illi, & ramenta ista sunt Materia cœlestis, quia partim cœlum ipsum constituunt, partim in centris cœlorum, Sydera, variosque soles, & stellas componunt: Est tamen inter globulos, sive particulas sphæricas, & ramenta, differentia non levis. Id enim quod ita ex mutua collisione, & attritu abrasum, & comminutum fuit, omnium particularum subtilissimum sit oportet, quod simul etiam talibus minutis constat, que innumeris modis quoad figuræ, & magnitudines distinguantur, quarumque aliqua tam sunt flexiles, & tenues, ut pro spatiolis, & locis diversis, que occupare debent, mirè, & mirificè secundum omnes ferè partes se inflectant, & ad quilibet angustias à ceteris indivisis corpusculis intercipi solitas, se accommodent. Insigniri ramenta illa solent nomine Materiæ primi elementi: Globuli autem illi, qui, facta omnium angulorum abrasione, corpuscula summè solida, & densa sunt, vocantur Materia secundi elementi: Quomodo autem bæc utraque materia

PRÆFATIO ad Lectorem.

cum corporibus sublunaribus sit permixta, & quomodo in ijs
varias operationes exerceat, operosum nimis foret ostendere.
Breviter, quantum ad permixtionem. Tellurem nostram,
corpus hoc adspectabile grande, ex varijs minutissimis parti-
culis constare, non solum ex ratione, sed & ex partium ejus-
dem resolutione constat: particulæ autem illæ, quia nunquam
sic congruere, & quadrare inter se possunt, quin spatiola, &
interstitia varia relinquant, facile intelligimus, spatiola illa
non nisi hac cœlesti, & subtili materia repleri posse; & quia
cœlestis vorticum, & cœlorum materia, undiq; amplectitur
arctissimè totam tellurem, semperque rapidissimè movetur,
ab hujusmodi spatiolis, & interstitiis excludi non potuit; sed
necessariò corpuscula illa sphærica, spatiola latiora; ramenta
autem reliqua, interstitia angustiora, quæ vel ipsa corpuscula
sphærica, vel qualibet alia circa se relinquunt, replere, & ob-
motum suum continuum continuo, & indesinenter inter-
fluere, & pervadere debent. Hac pauca restabant de Ma-
teria cœlesti, & subtili, ejusque cum corporibus sublunaribus
permixtione præfloranda: plura de his alibi suo loco: Nunc
Vale Lector, & sicubi me à Veritate aberrasse deprehen-
deris, non veris, claris, & facilibus nostris principiis, ex qui-
bus non nisi conclusiones verae educi per se possunt; Sed me &
imbecillitati, & humanitati (Homo quippe sum, nec er-
rare à me alienum puto) imputa: Hoc si feceris, candidè a-
ges, ut decet, & me tibi ad quævis officiorum genera obstrin-
ges.

E R R A T A.

Pag. 108. lin. 8. lege Materia. p. 160. l. 3. leg. autor. p. 170. l. 16.
perh. Luna, addatur, & ultra. p. 177. l. 6. leg. unam, eandem.

C L A V I S
Philosophiæ Naturalis
P A R S G E N E R A L I S.

De rerum naturalium causis, & generalibus affectionibus, ac differentiis.

C A P U T I.
De

Natura, & constitutione Physicæ.

P R A C E P T A.

1. *Philosophia naturalis, sive Physica, est scientia corporis naturalis, quatenus est naturale.*
2. *Dividitur in Partem Generalem, & Specialem.*
3. *Generalis est, quæ corpus, sive materiam in genere, ejusq; generales affectiones, & differentias, ut magnitudinem, situm figuram, & motum considerat.*
4. *Specialis est, quæ corpus, sive materiam in specie, puta cæli, stellarum, terræ, magnetis, eorumq; specificam magnitudinem, figuram, & motum perpendit.*

A

Q U A E-

QUÆSTIONES.

I. *An Physica sit scientia?*

Reſp.



Hysica potest vel formaliter, vel materialiter considerari. Physica materialiter considerata ſep̄e nihil minus quam scientia est, quatenus non niſi principia obſcura, confusa, & incerta, ut & conſuſiones ex iis de-ductas, incertas, & controverſas continet: Talis eſt Aristotelis *Physica*: nam quamvis ipſe l. 3. *Phys. c. 4. t. 24. lib. 6. Metaph. c. 1. t. 3. lib. 11. Metaph. c. 6.* Physicam vocet Scientiam, conſtat tamen vel cuivis, ſcripta ipſius physica tantum per tranſennam inspicienti, ea opinionem verius eſſe, quam Scientiam: cum in iis, præſertim libb. 8. Physicæ auſcultationis, lib. 4. de cælo. lib. 2. de generat. & corrupt. ne unica quidem legitima demonſtatio ex clarè perceptis prin-cipiis proponatur: quod diffiteri non po-test Pererius l. 2. de rebus naturalibus c. 3 ad dubium 8. *Doctrina rerum naturalium* inquit

inquit, quam nobis scriptam reliquit Aristoteles, si quis velit bene sentire, & propriè loqui, non potest dici absolute, & in totum scientia. Primum, quia æternitas materiæ, motus, Mundi, intelligentiarum, necessitas Dei in agendo, finita virtus ejus, & id genus alia, quæ sunt præcipua fundamenta, atque firmamenta Philosophiæ Arist. perspicuum est falsa esse. Ex quibus principiis falsis, cum ab eo texatur, & neclatur magna quædam series aliarum rerum, necesse est maximam partem Aristol. Physicæ non esse scientiam. Deinde eas res, quæ veræ sunt, plerumque leviter ac molliter tractat, non eas confirmans firmis, necessariisque rationibus, sed tantum dialecticis, & probabilitibus, ut ipsemet Arist. confiteri videtur l. 2. de cælo c. 3. t. 17. & c. 12. t. 60. ubi hæc verba leguntur. Enitendum quippè nobis est, id dicere faltem, quod verisimilè appareat, existimantes, hanc alacritatem verisimilia proferendi, modestię elogio potius dignam esse, quam temeritatis, si quispiam ob philosophiæ sitim etiam minutulas disquisitioes amet in ejusmodi rebus, de quibus maias habemus dubitationes. Cum igitur, concludit idem Pererius, pars Physicæ

Aristotelis sit falsa, pars autem topicam tantum, & probabilem doctrinam continens, non potest Arist. Physica simpliciter, & absolutè vocari scientia. An autem modernorum peripateticorum Physica certioribus innitatur principiis, ac fundamentis, & an in ea magis legitimæ proponantur demonstrationes, justa est dubitandi ratio: cum enim præceptoris sui principia non ubique non retineant, ejusque dogmata, ac placita ad mortem usque, velut ex tripode profecta, tenacissimè defendant, verisimile non est, eos certioribus uti principiis, quam *Aristoteles* usus est: undè nec ipsorum Physica jure merito, scientia salutanda est: quinimò non difficile foret ostendere, ne unius quidem quæstionis physicæ solutionem, beneficio principiorum Peripateticorum datam unquam fuisse, vel etiamnum dari posse: Volve, ac revolve insigniores quæstiones Physicas, quæ in speciali Physicæ parte occurront, & videbis me verum dicere: quæritur, An Mundi sint plures uno, & an plures esse possint? an planetæ quiescant, an verò cælum moveatur? cur māre singulis sex horis fluat, refluatque? cur aqua calefacta, iterum ad pristinum frigus redeat? quomodo

modo magnes ferrum trahat? & quomodo succinum, gagas, cera, resina, vitra, & similia ad incandescentiam ultrò citróque fricta, chartam, vel paleam ad se allicant? Harum quæstionum, & infinitarum aliarum (nec enim necesse est omnes recensere) solutionem ex principiis suis in æternum dare non poterunt. Tria enim ipsorum principia, Materia, Forma, & Privatio, nec sufficiunt, nec apta, vel convenientia sunt istarum solutioni: Materia ipsorum prima, *non ens* est, principium passivum, carens quantitate; sed quid illa ad enodationem harum quæstionum? forma fortè erit, (nam Privatio cum negatio sit, causa positiva horum effectuum admirandorum esse nequit,) at illam omnes ipsi ingenuè fatentur esse incognitam: quomodo igitur ex incognito principio solutionem harum quæstionum dabunt? cum etiam juxta ipfos ex solis cognitis, & notis deveniamus in cognitionem eorum, quæ minus nota sunt nobis: Nisi dicere velint, formas cujuscunq; corporis, licet ignotæ sint, tamen admirabilium horum effectuum causas esse: nam rogati, quare aqua calefacta redeat ad pristinum frigus, quare magnes ad se trahat

ferrum &c, respondent, ea evenire à forma aquæ, ac magnetis, at dum dicunt operationem aliquam procedere à forma, idem est ac si dicant, illam provenire à re à se non intellecta. Et nonne idem illud rustici, & pueri solent respondere? eos enim si interrogamus, quare hoc, vel illud sit, respondere communiter solent, quia talis est ejus natura. Undè non malè *Gerh. de Neufville in præfat Physiolog. ad leet.* de hac Peripateticorum Physica ita judicat, quando inquit. *Naturalis scientia, uti quidem communiter tradi solet, magna ex parte incerta est, ac fragilibus admodum fundamentis nititur: id quod dissentientes ubique de rebus Physicis Philosophorum opinione, & controversiae, quæ vacillantis ubique veritatis certissimum testimonium perhibent, satis superque comprobant.* Physica formaliter, id est, in se spectata, scientia dici potest, & debet, quia est rerum cognoscibilium certissima cognitio, quæ nulla dubitatione everti potest: ea enim quæ talis non est, ne quidem Physicæ nomine digna est: consistit autem certitudo cognitionis rerum physicarum in eo, quod in Physica maximè clara principia continentur, ex quibus omnes

nes aliæ conclusiones quām evidentissimè deductæ sunt. Cum enim Physicā communē cum Geometria objectum habeat, sicut infrā ostendemus, æquè clara, imò planè eadem quoq; in Physica, ac in Geometria, vel in Mathesi abstracta, principia esse debent, unde proindè etiam in Physica, æque ac in Mathematica, conclusionum demonstrationes dari posse, ac debere, cuivis à præjudiciis libero facile constare potest. Neque moramur hīc Aristotelem, qui Physicæ, certitudinem Mathematicam denegat, quandolib. 1. Metaphys. sub finem ait. *Certitudinem Mathematicam non oportet in cunctis petere; sed in iis, quæ non habent materiam, quare non est naturalis hic modus.* Tota enim natura fortè habet materiā &c. Sed videtur tamen aliquod dubium esse de Physico, An ille ad illam certitudinem in hac vita possit aspirare? dicendum est, quod possit, si geometrarum more in veritate invenienda nihil præmittat, nisi quod sit valde clarum, & evidens, & quod seorsim spectatū sit cognitu facillimum, ex quo postea continua serie, & ordine non interrupto id quod antea ignorabat, educat : Sic quia commune Geometriæ, & Physicæ subje-

Etum positivum, & absolutum, est Extensio omnimodè divisibilis, figurabilis, mobilis, si Physicus in ipsa nihil planè consideret præter istas divisiones, figuras, & motus, nihilque de ipsis ut verum admittat, quod non ex communibus illis notionibus mobilitatis nimirum, & ex ea resultantis divisibilitatis (de quarum veritate à nullo dubitatur) evidentissimè deduci potest, quid ni & ille ad certam, indubitatem, & evidenter rerum physicarum cognitionem pervenire posset? Neq; necessè est, ut omnium omnino particularium effectuum veritates, quæ à particularibus quibusdam experimentis dependent, cognitas habeat, nec ob eorum ignorantiam verè Physicus esse desinit, sicut nec antiquiores Geometræ, & Mathematici ex eo, quod ipsis multa adhuc fuerunt incognita, Geometræ, & Mathematici esse desierunt : sufficit enim ut Physicus talia habeat principia rerum Materialiū, ex quibus solis omnia naturæ phænomena explicare possit, quæ sésibus ipsius occurront, vel occurrerūt aliquando, quem tam vasta, & foecunda sunt, ut multò plura ex iis naturæ effecta deduci possint, quā in hoc mundo aspectabili, contineri videmus.

Nos

Nos autem in hac nostra CLAVI NATURÆ talibus usos rerum materialium principiis, unde omnia naturæ phænomena explicare possimus, jamq; multa explicuimus, quæq; tam vasta sunt, ac fœcunda, ut multò plura ex iis sequantur, quam in hoc mundo ad-spectabili contineri videmus, ac etiam multò plura, quam mens nostra cogitando perlustriare unquam possit, facile concedent illi, qui sine præjudiciis hanc nostram Clavem attentè perlegere dignati fuerint. Nam si Deus nunc alias plures Terras, Soles, Stellas, Planetas, imò & quasdam novas species materiales, quæ hactenus non fuerunt productæ, crearet, non difficile tam nobis esset per eadem hæc nostra principia, quæ partim verbulo suprà attigimus, partim pluribus infrà proponemus, istorum corporum naturalium phænomena, & effecta demonstrare. Non dubium igitur, quin & hæc nostra CLAVIS, SCIENTIA dici mereatur.

2. *Quænam sint Physicæ principia?*

Reſp. Nulla potest esse scientia sine principiis, quæ in initio verarum scientiarum

tanquam certæ, ac indubitatae statuuntur, neque ullis probationibus confirmantur; sed ex illis reliquæ Scientiarum conclusio-nes demonstrantur: quod cuivis ex ipso mentis, recteque rationis usu apertum est, cum in demonstrationibus non possit fieri progressus in infinitum: & videre id licet in Geometria, Arithmeticâ, Astronomia, aliisque scientiis Mathematicis. Quamobrem in Physice quoquè initio diligenter de Principiis disquirendum est, cum præcipua in hisce sit difficultas. Duplex autem im-primis videtur principiorum constituenda differentia, ut alia sint Experienciarum, alia verò Axiomata, quæ diversitas apprimè est observanda, & hic à nobis explicanda, quia sine hujus discriminis cognitione, nemo dextrè de quæstione hac nostra proposita judicare potest. Axiomata sunt notiones communes, sive *κοιναὶ ἔννοιαι*, quæ sua luce manifestæ sunt, extenduntque se vel ad omnia rerū genera, ut, Non Entis nullæ sunt affectiones, & nulla prædicata, A nihilo nihil fit, Nulla res spontè seu sine causa interit, Idem non potest simul esse, & non es-se, Si æqualibus æqualia addas, tota sunt æ-qualia &c. vel ad aliqua tantum, ut Deum,

men-

mentem, vel res corporeas, & mathemati-
cas, ut Deum esse summè perfectum, Omne
id quod cogitat, esse, Omne corpus esse di-
visibile, impenetrabile, & uno loco cir-
cumscriptum. Experientia est notitia sen-
suum, versaturque quidem primariò circa
patibiles, ita à Logicis dictas, qualitates, si-
ve circa propria singulorum sensuum obje-
cta, deindè etiam circa magnitudines, figu-
ras, situm, distantiam, motum, ac quietem,
nec non substantiam quandam corpoream,
sive Extensionem una cum mutationibus,
effectis, & agendi viribus : quamvis Philo-
sophicè loquendo hæc omnia non tam ad
sensem, quam ad intellectus, & rationis no-
titiam referri debeant : quod ut clarè & di-
stinctè intelligatur, nec captioni locus re-
linquatur, notandum, quod in sensu duo
quasi gradus imprimis sunt distinguendi.
Ad primum pertinet tantum illud, quo im-
mediatè afficitur organum corporeum ab
objectis externis, estque illud nihil aliud
quam motus particularum istius organi, &
figuræ, ac situs mutatio ex illo motu proce-
dens. Secundus continet id omne, quod
immediatè resultat in mente, ex eo quod
organo corporeo sic affecto unita sit, sunt
que

que tales perceptiones doloris , titillatio-
nis, sitis , famis, colorum, soni, saporis, o-
doris, caloris, frigoris : nihilq; præterea ad
sensum referri debet : nam cætera non ad
sensum, sed ad intellectum referanda sunt :
ita quod ex coloris sensu, quo afficior, judi-
cem objectum aliquod extra me positum,
esse coloratum, item quod ex istius coloris
extensione , terminazione ac situs relatio-
ne ad partes cerebri , de istius objecti ma-
gnitudine, figura,& distantia ratiociner, id
omne à solo intellectu dependet. His ita
de duabus illis principiorum speciebus, A-
xiomatibus nimirum & Experientiis,in ge-
nere præmissis, jam perpendendum restat,
qualibus principiis Physica superstruatur.
Primò sicut omnes scientiæ , ita quoque
Physica nititur generalibus illis axiomati-
bus, ut, non entis nullæ sunt affectiones , à
nihilo nihil fit , nulla res spontè , seu sine
causa interit, idem non potest simul esse , &
non esse : Deinde & specialibus illis , Phy-
sicæ propriis, qualia sunt. Materia est divi-
sibilis, variè figurabilis,& mobilis, item im-
penetrabilis , & uno loco circumscripta :
imò qualia etiam sunt, omnia ea, quæ in ge-
nerali Physicæ parte proponuntur, ut, Ma-
teria

teria est ipsa Extensio, Motus est corporis translatio ex vicinia eorum corporum, quæ immediatè contingit, in vicinam aliorum: Omnis motus est ab extrinseco, Omne corpus movetur sive motu proprio, sive alieno, In omni motu datur circulus, Quicquid movetur semper moveri pergit, nisi causa destruens adsit, Omnis motus ex se ipso est rectus : Quicquid circulariter movetur, tendit semper, ut recedat à centro circuli, quem describit: Motus motui non est contrarius, sed quieti, &c. Ex his enim, & ex multis aliis axiomatibus, in speciali Physicæ parte omnia Naturæ Phænomena explicanda sunt, & nos etiam per Dei gratiam multa explicabimus. Verùm, quantum ad experientias, iis quidem Physicus utitur in Naturæ explicatione ; sed non nisi secundariò : Dico, secundariò , quia cum corpora naturalia aliquandò quidem, non autem semper in sensu incurvant, & ubi sensibus aliquatenus sunt obvia , plurima tamen, & ea quidem præcipua, in iis supersint, quæ nullo sensu percipi possunt, Experienciarum non nisi secundarium inter Physicæ principia locum habere possunt, ubi tamen & hæc cautio adhibenda, quod initio iis magis uten-

utendum sit experientiis, quæ spontè sensibus nostris occurunt, quam raris & abstrusis, quæ plerumque non ita ad Naturæ contemplationem utiles sunt, quam vulgares illæ, & valdè communes experientiæ: cuius rei ratio est, quod rariores illæ, sæpiùs decipient, quamdiu vulgatiorum causæ ignorantur, circumstantiæq; à quibus pendent ferè semper adeò particulares, & exiguae sint, ut observatu sint difficillimæ.

3. Quænam sit rerum cognoscibilium norma?

Resþ. Triplex hic est sententiarum divortium: alii enim *Aristotelem*, alii sensus, alii denique rationem, sive intellectum pro norma, & mensura cognoscibilium sumunt: Aristotelici rigidiores, quia existimant, & sibi, licet vanè, persuadent, tantum in veritatis physicæ cognitione ab Aristotele præstatum esse, ut nihil amplius futuræ posteritati sit relictum, quod invenire ea possit, eum non dubitant pro norma agnoscere omnium eorum, quæ sciri ab humano intellectu in hac vita possunt: Hinc Averroës affirmare non erubuit, *per mille quingentos annos ad sua usque tempora in Aristotele nullum*

lum inventum fuisse errorem, eum regulam,
& exemplar esse, quod Natura iuvenerit ad
demonstrandam ultimam perfectionem huma-
nam, doctrinam ejus summam veritatem,
quoniam ejus intellectus finis humani intelle-
ctus, eum creatum, ac datum nobis divina
providentiâ, ut sciremus, quicquid sciri po-
test. Verum qui tum ea, quæ quæstione pri-
ma à nobis annotata sunt, tum etiam quam
multa in Aristotele deficiant, considerabit
attentius, facile mecum judicabit, Aristotelem
pro norma cognoscibilium haberi
neutiquam posse: nam, ut falsa & obscura
ejus principia, & indè deductas conclusio-
nes quam plurimas non minus falsas & ob-
scuras, quam ejus principia (nullæ enim
conclusiones ex Principio non evidenti
deductæ evidentes esse possunt, etiamsi
quam evidentissimè indè deducerentur)
omittam, si in veritatis cognitione unicè in
Aristotele mens nostra acquiescere de-
beret, quam multa ignoraremus præclara
inventa, & quam arctis scientia nostra in-
cluderetur carceribus! certè qui se ita Ari-
stotelis mancipia faciunt, ut extra ipsum
scire amplius nihil velint, ignorare etiam
coguntur ea, quæ ad Naturæ cognitionem
vel

vel maximè faciunt : quid enim Aristoteles de Veneris, & Mercurii circa Solem motu , de Jovis satellitibus , de Saturno tricorporeo , ejusdemque pedissequis , de Martis circulatoribus, de Lunæ montibus , de Solis maculis , Cometarum supra Saturnum excursionibus , de igne , & magnete , eorumque natura , & mirabilium effectuum causis, de Iride , de circulatione sanguinis, de ductu chilifero, de venis lacteis, de arteriarum, & venarum valvis &c. scivit ? quæ tamen Naturæ Phœnomæna (ut & plura alia) jam hodiè detecta esse omnia , norunt ii, qui *Copernici, Galilæi, Brahe, Gassendi, Ant. Reitæ, Hevelij, Scheineri, Cartesii, Hervei, Joh. Pecqueti, Th. Bartholini* observationes , & scripta legerunt. Quantò rectius igitur *Scaliger*. *Nihil, inquit, infelicius iis ingeniosis, quæ mordicus sentiunt, majores nostros, nil ignorasse.* Non minus verè, quam eleganter , divinus *Seneca*, epist. 33. in fin. Nunquam quicquam inventetur, si contenti fuerimus inventis. *Quid ergo? Non ibo per priorum vestigia?* Ego verò utar via veteri, sed si propriorem invenero, hanc muniam. Qui antè nos ista moverunt, non Domini nostri, sed duces sunt;

Patet

Patet omnibus Veritas: nondum est occupata, multum etiam ex ea futuris relictum est. *Et lib. viij. Quæst. cap. 31.* Quàm multa hoc primum cognovimus seculo! Et quidem multa vénientis ævi populus ignota nobis sciet, multa seculis tum futuris, cum memoria nostra exoleverit, reservantur. Pusilla res Mundus est, nisi in illo quod quærat, omnis Mundus habeat. Fuerit igitur (scribit *Rodolphus Goelenius*, insignis alioquin Aristotelicus, ad *Nicolaum Taurellum*) à Natura omne ingenii humani acumen in Aristotele ostentatum; sit Aristoteles homo de Universa Sapientia humana, præter supraquæ cæteros omnes mortales benè meritus; sit sapientiæ nostræ pater, & dux; sit summus dictator Sapientiæ, sit summus Philosophorum imperator, sit Philosophici regni, sapientiæ, laudis literariæ, aquila; sit veritatis Hercules, Princeps, tribunal; sit Philosophorum numen; sit denique vir omni laude major, omniisque calumnia potior (quibus elogis *Julius Scaliger* eum ornat) non tamen hoc Naturæ Miraculum, *norma veritatis* est, cum veritatis cursum non ubique tenuerit. Atquè eam ob causam cordatiores Peripatetici Aristotelem

telem non solum pro norma veritatis agnoscere non voluerunt; sed ipsi etiam sœpiissimè contradixerunt. Non solum *Conimbricenses* multis in locis ab eo recedunt; sed & *Hurtadus* ipsum ignorantiae, & oblivious reum peragit: *Joh. Caramuel Lobkowitz* in præfatione Philosophiæ rationalis & realis, Lovaniæ editæ, audacter, & liberè scribit, *Aristotelem illic à se sœpius deseriri, rarius defēdi, crebrius impugnari, imò non nunquam carpi, & vituperari, eum quidem lucem, & nonnunquam sibi esse, nunquam ducem, sibi non fuisse scopum, ut ei adularetur.* Cæteri itaque *Peripatetici* malunt sensus pro norma cognoscibilium in Physica assūmere; Sed (ne jam dicam, quam fallaces sint sensus, & quam incerta omnia, quæ ei superædificantur) si sensus norma sunt, quam multa Naturæ arcana, & abdita ignorare oportebit? quam multa enim sunt, quæ sub humanam cadunt cognitionem, quæ nullo tamen deprehenduntur sensu: quot dantur particulæ insensibiles, quot etiam motus insensiles! crescit, & generatur viti non nisi per partium appositionem; at quis sensu deprehendit unquam illa corpuscula, quæ singulis horis, & diebus, crescenti viti accesser-

accesserunt ? exhalat continuò per insensibilem transpirationem ex nostris corporibus magna sanguinis copia : at quis & eam sensu unquam observavit ? ex terra quot exhalationes, & vapores vi Caloris Solaris sursum attolluntur, quos tamen nemo (nisi valdè densi, & copiosi fuerint,) sensu deprehendere potest. Et quid de motu illo vorticum cœlestium, qui terram, planetasque omnes circa Solem continuo & rapidissimo motu deferunt ? quid de fluida, & celerrimè circumacta Solis Materia ? quid de motu particularum striatarum Magnetis, ut & de motu omnium liquidorum, aquæ, vini, aceti, olei, &c. dicemus ? num ista in sensus incurrunt ? aut, num ideo neganda fortè, quia in sensus non incurrunt ? ita quidem existimant, & judicant ii, qui ultra sensus in Naturæ contemplatione non assurgunt : At si istæ particulæ insenfiles, & motus insenfiles ideo negandi, quia in sensus non incurrunt, quo medio ergò semen parvum in grandem assurgit arborem ? (non sanè dicent integras glebas in semen ingressas, cum pori ipsius seminis tam sint exigui, ut omnem visus aciem fugiant) ubi manebit maxima illa sanguinis in humano

corpore copia, qui quotidiè generatur, si non continuò per insensilem transpirationem exhalet ex nostro corpore? quomodo in media aëris regione, nubes, pluviae, grandines, & nives generabuntur, si non particularum innumerarum copia sub insensibilium exhalationum, & vaporum formâ singulis horis, & momentis è terra attollatur sursum à Sole: nam vaporess illi sensibles, qui plerumque vel circa auroram, vel vesperam conspicuntur, non sufficiunt generationi tot meteororū, & in locis illis, quæ sub Äquatore sita sunt, rarissimè conspicuntur vaporess, vel Exhalationes, ubi tamen certum est æquè sursum attolli vapores, ac in his regionibus, & quidem majori copia: & hæc etiam ratio est, quare æstate, & locis calidioribus aquæ magis subsidunt, & decrescant, quam hyeme, vel locis frigidioribus: quomodo magnes attrahet ferrum, si non particulæ insensiles ex corpore magnetis egrediantur: nulla enim fit attractio, vel potius pulsio, nisi per cōtatum corporeum, &c. Nos igitur statuimus, & sentimus, intellectum, & cogitationem nostram solam, rerum cognoscibilium in Physica normam esse: cum enim res cognosci-

noscibilis, quatenus est cognoscibilis, sit in prædicamento relationis, oportet, ut habeat relationem, sive respectum, non ad sensus (nam in iis nulla datur cognitio) sed ad intellectum, & cogitationem, ita ut res eatenus dicatur cognoscibilis, quatenus ab intellectu cognoscitur, & percipitur: confirmatur nostra sententia ex eo, quod norma debeat esse normato suo adæquata, & ei proportionata: at verò intellectus, & cogitatio nostra est adæquata cognoscibili: nam quām latè se extendit cognoscibile, tam latè se extendit intellectus, & cogitatio, sive perceptio, & quam latè se extendit intellectus, & cogitatio, sive perceptio, tam latè etiam se extendit cognoscibile, & non ulterius. Ergo solus intellectus, & cogitatio nostra est norma rei cognoscibilis: imò cogitatio uniuscujusque, id est, perceptio, seu notitia, quam alicujus rei Physicæ habet, ipsi veritatis istius Physicæ norma, & mensura esse debet, id est, omnia quæ de ea facit judicia, ut recta sint, perceptioni isti conformia esse oportent: ita ut tunc Physicus demùm veram rei alicujus notitiam dicatur habere, quando rem eam clare, & distinctè percipit, & judicium isti perceptioni

ceptioni consentaneum, & conforme apud se format, .& facit : v. g. quid est norma hujus veritatis , quod Mens humana sit distincta à corpore? certè sola mea cogitatio, quatenus ego clarè , & distinctè percipio mentem humanam, omniaque ejus attributa, sine corpore, & corpus sine mente : quid est norma hujus veritatis , quod Materia sit ipsa Extensio? certè sola mea cogitatio, quatenus nimirum egò clarè , & distinctè percipio, nihil ad essentiam materiae præter extensionem pertinere , & quod cætera, ut durities, mollities, gravitas, levitas, calor, frigus, color, &c. materiae extrinseca sunt , & ab ea separabilia : quando autem dico, nostram cogitationem veritatis rei esse normam, volo, ut unusquisque propriam suam perceptionem sequatur, non verò aliorum opiniones , & commenta.

4. *Quodnam sit Physicæ objectum?*

Reſp. Objectum duplex est, aliud adæquatum, aliud inadæquatum. Materia, Physicæ objectum inadæquatum est : Motus verò, quies, ut & situs, figura, & magnitudo cum

cum, & in materia considerata, sive, quod eodem redit, ipsum corpus naturale, Physicæ objectum est adæquatum : Qui verò (quod nonnullos observo facere) ad Physicæ objectum etiam referunt, Deum, Mensem, & Angelos, illi chaos faciunt scientiarum, & à veritate longè recedunt : nec tolerandus est error *fratrum Botiorum*, qui *Philosoph. Natural. Reformat.* cap. 1. scēt.
 1. pagin. 2. corporis vocabulum tam laxè sumunt, ut & Angelos & mentes humanas sūb se comprehendat : nam (ut de Angelis nihil dicam, de quibus ex ratione, & lumine naturali extra S. Scripturæ revelationem nihil nobis constat : Angelorum enim existentia, neq; demonstrari potest ex ipsorum essentia, neque ex eorum effectibus : Non ex essentia, quia non est de illorum, sicut nec de ullius creaturæ ratione, ut existant : Deus enim ita omnes creature libèrè condidit, ut potuisset eas non condidisse : Neque etiam ex effectibus : nam intelligi posset concursus ipsius Dei solus, aut aliarum causarum sufficere ad talia effecta) cum mens humana nihil aliud sit, quā substantia, sive Ens cogitans (præter cogitationem namque in mente nihil aliud clarè

percipio, neque percipi etiam potest) & corpus nihil aliud sit, quam substantia extensa, sive materia, varie divisibilis, figurabilis, & mobilis, quomodo sub corpore MENS humana comprehēdi poterit? Concipiunt quidem multi Mentem humanam ad instar venti, vel ignis, vel ætheris crassioribus corporis particulis infusi, sed erroneæ hujus perceptionis causa hæc præcipua, imò unica est, quod Mens nostra jam inde usque à prima ætate, ac pueritiâ de rebus duntaxat corporeis cogitare fuit solita, unde tota ferè vitâ, cætera etiam omnia, quæ ad cognoscendum ipsi proponuntur, ut corporea sibi repræsentat, nec quicquam subsistere posse existimat, quod corpus non est: qui igitur seriò vult philosophari, veritatemque rerum cognoscibilium indagare, oportet, ut, antequam ad philosophandum se accingat, hæc, & similia infantiæ suæ præjudicia deponat, sive, accuratè ipsi cavendum est, ne ullis ex opinionibus olim, id est, in pueritia, à se receptis, fidem habeat, nisi priùs, iis seriò ad novum examen revocatis, veras esse comperiat.

5. An objectum Physicæ admittat demonstrationem & ēn?

Respondeo, Multi autumant, Physicum non teneri probare existentiam sui objecti, cum illud in omni scientia præsupponi oporteat; sed fallunt, & falluntur, cum nulla res sit, de qua querere non liceat, An sit: Quamvis illud facile concedere possim, hoc loco existentiæ corporis probationem præcisè urgendam non esse, si nempè is, qui Physicam conscribit, alibi, id est in Metaphysica, existentiam corporis, sive rei materialis probaverit: nisi ex abundanti, καὶ ἀνθετικής, ea, quæ ibi tractavit, in initio Physicæ repetere velit: Quando autem dico, in Metaphysica probari posse existentiā Physicæ, non intelligo Metaphysicam illam Peripateticam, & Vulgarem (ea enim, quia secundūm ipsos Doctores Peripateticos non nisi de Ente quatenus Ens est, id est, de Ente in genere agit, quatenus nimirū illud abstrahitur ab Entis speciebus, vel, quod perindè est, à Spiritu, & Materia, sive corpore, non potest, nec debet existentiæ materialiæ probationem exhibere, nisi, terminos

objecti sui transilire velit) sed eam scientiam, quæ Dei existentiam, & animam à corpore distinctionem demonstrat. Verum, quia nos talem Metaphysicam non conscripsimus, incumbit nobis, breviter hac vice probare Materiæ, sive corporis existentiam. Nemo quidem ex Vulgo est, qui sibi non persuadeat res materiales existere, ex eo quod eas oculis suis videat, aliisque sensibus percipiat, quia tamen hoc sensus judicium fallax sèpè est, atque ex sensibus, nos primæ nostræ ætatis præjudicia hausimus, alia viâ, & modo probanda erit materiæ, corporisque existentia, firmioribusque ea principiis superædificanda. Hoc autem non melius fieri potest, quam si negemus, vel saltem in dubium revocemus omnia ea, quæ fallaces nostri sensus nobis olim persuaserunt, & quia existentiam Materiæ, etiam non alio medio cognovimus antehac, quam per sensus, ea etiam in dubium revocanda, donec certioribus inventis principiis, eam firmius demonstraverimus (dubitando enim de existentia materiæ, ad certam existentiæ materiæ probationem pervenire oportet.) Nam Sensus nostri quia fallaces sunt, nihil, ut verum, credi

credi debet, quod eorum beneficio cognovimus : Prudentiae namque est, nunquam nimium fidere iis, qui nos vel semel decepti perunt. In dubium ergo revocatis omnibus, quae hactenus nos nimium creduli, putavimus esse vera, videndum, an aliquid tamen sit quod praे manifesta veritate negari non potest? equidem, dum ita de rebus omnibus dubito, Ecce, ex ipsa dubitatione (quæ cognitionis humanæ species quedam est) hæc prima, certa & immota emergit veritas. **C O G I T O , D U B I T O . E R G O S U M ,** quamvis enim dubitare possim, imò negare, ullum dari cœlum, ullumque corpus, meque etiam habere manus, pedes, ac caput, Ego tamen, qui de his dubito, vel etiam ea nego, **N I H I L E S S E N E Q U E O ;** sed oportet, ut sim, sive existam. Actus enim subjectum præsupponit. Et repugnaret, si putaremus id, quod dubitat, & cogitat, eo ipso tempore, quo cogitat, & dubitat, non existere. Hæc igitur unica prima, & certissima est veritas, quæ cuilibet ordine philosophanti occurrit. **C o g i t o , d u b i t o . E r g o s u m :** quia verò eatenus tantum sum, quatenus cogito (Si enim vel per momentum temporis cogitare desinerem, licet interim & meum

meum corpus, & mundus, & cætera omnia,
quæ imaginatus sum, reverè existerent,
nulla esset ratio, cur crederem, me, durante
illo tempore, debere existere) colligo quo-
què, me esse substantiam quandam cogitan-
tem, cuius tota essentia in eo consistit, ut
cogitem. Ut autem ulterius cognitionem
meam possim extendere, & tandem ad cer-
tam existentiæ corporis, sive materiæ per-
venire, observo ulterius, cogitationem me-
am dubitationibus multis esse obnoxiam,
proindeque naturam meam non esse omni-
nò, id est, infinitè perfectam, & quia ta-
men de natura, sive Ente aliquo perfectio-
re cogito, quam ipse ego sum, colligo faci-
lè, me hoc habere non posse, nisi ab eo, cu-
jus natura revera perfectior est : nam fieri
non potest, ut illam cogitationem de re per-
fectiore, à nihilo acceperim, nec tamen
etiam illam à me ipso habere possim (quo-
modo enim ego Ens imperfectum, causa
esse possum in me cogitationis (sive ideæ)
Entis perfectioris : cum non magis id quod
perfectius est, à minus perfecto potest pro-
cedere, quam ex nihilo aliquid fieri.) Un-
dè necessariò concludo, illam cogitatio-
nem, sive ideam (notandum obiter me no-
mire

mine ideæ, hoc loco non intelligere imagines rerum materialium in phantasia corpora depictas, sic enim nullam Dei propriam ideam possemus habere; sed sumo nomen ideæ pro omni eo, quod immediatè à mente percipitur) in me positam esse à re, me perfectiori, id est, Deo. Et sic altera inventa veritas est, nimirum quod *Deus existat*: Hisce veritatibus, veluti certissimis principiis, jam tertio, & ultimò superstruenda probatio existentiæ materiæ est (iis enim non inventis, impossibile erat certam demonstrationem existentiæ materiæ exhibere) Nam probata Dei existentiâ, quia ipsum ut ens summè perfectum, id est, omnipotēs, justum, bonum, minimè fallax, &c. concipio, colligo indè, primò, non impossibile esse, ut res aliqua materialis, sive corpus existat, atquè id quidem eo magis, quia ego clarè, & distinctè percipere possum naturam corpoream: nam quicquid ego clarè, & distinctè percipere valeo, id nullam includit repugnantiam, ut à Deo efficiatur: Et quia quoquè apud me in menté mea invenio ideam rei alicujus extensæ in longum, latum, & profundum cum variis motibus, figuris, & magnitudinibus, quam nos corpus

corpus vocare solemus, illaque ideā mihi etiam invito, ac nolenti sāpē occurrit, hinc infallibiliter jam concludo, atque demonstro, tale corpus naturale extra me esse debere, quod talem ideam in mente mea produxit: Neque enim Deus, qui summè bonus est, & minimè fallax, menti meæ exhibere potuit ideam rei non existentis: sic enim & ipse falleret, & alios falli vellet: quæ imperfectionem arguunt, quam antè ab ipso removimus (pari ratione concludere possem, Menti meæ corpus quoddam magis arctè, quam reliqua alia corpora, coniunctum esse, ex eo, quod advertam perspicuè, ideas dolorum, &c. mihi ex improviso advenire, quas Mens est conscia non à se sola profici, neque ad se posse pertinere, ex eo solo, quod sit res cogitans; verum tantum ex eo, quod alteri cuidam rei extensæ, & mobili adjuncta sit, quæ res, humanum corpus vocari solet, Sed quia hoc impræsentiarum ad meum scopum non pertinet, quippe qui jam solum intendo probare rei alicujus materialis, sive corporis existentiam, non specificando expresse, An sit corpus cœleste, an corpus humanum, pluribus negotiis hoc non explicō.)

Atque

Atque ita existentia objecti Physicæ firmissimè, non ex sensuum præjudiciis; sed ex indubitatis quibusdam veritatibus probata est, nec puto Scepticos vim harum rationum ullis dubitationibus evertere posse: Saltem hactenus nihil potuerunt: Quid facturi sint, expectabimus.

6. *Unde petita sit Physicæ divisio?*

Resp. Sicut Philosophi in disciplinis practicis divisionem solent sumere à fine, ita in speculativis ab objecto: quia igitur Physica etiam in pura speculatione consistit, non immerito & nos eam secundum objectum suum divisimus. Corpus naturale (quod Physicæ adæquatum est objectum) duobus modis considerari potest, primò, in genere, sive in generali sua idea. Deinde in specie, sive in speciali sua idea. Priori modo si spectetur corpus, constituit generalem Physicæ partem: Posteriore verò modo si spectetur corpus, specialem constituit: luculentum enim & manifestum esse discrimen inter corpus in genere, & in specie consideratum, vel inde liquet, quod in illo tantum spectemus materiam aliquam indefinitam, cum motu

motu, magnitudine, & figura, in genere, id est, abstrahendo à tali, & tali motu, magnitudine, & figura specifica, & determinata : in hoc verò, certam aliquam materiam, certo, & determinato aliquo motu, magnitudine, & figura consideremus: ita quando in Speciali Physica agimus de cœlis, non solum dicimus illos constare ex Materia aliqua indefinita, verùm etiam demonstramus, particulas cœlorum esse parvos globulos, qui vorticis instar continuò gyrant, tum circa solem, tum etiam planetas, aliasque Stellas: sic pari etiam modo demonstramus particularum aquæ figuram esse oblongam, easque flexiles, tenues, & læves esse, variéque inter se agitari : de oleofis succis, & particulis perindè quoque demonstramus eas esse flexibiles ramulos, & inter se sibi mutuo incumbentes, repere : Idem iudicium esto de reliquis corporibus specificis. Quod vero nonnulli Physicam dividant in Empyricam, Doxaesticam, & Epistemonicam, sciendum est, hanc tantum esse divisionem nominalem, sive æquivoci in sua æquivocata; non verò realem: pertinetquè ea propriè ad ὀνοματολογίαν; non verò ad περιφυσιολογίαν, cum nos nullam aliam hic agnoscamus Physicam.

sicam, nisi Epistemonicam, quæ certis nititur demonstrationibus.

C A P U T I I.

De causis corporis naturalis.

P R A E C E P T A.

1. *Causæ corporis naturalis, sunt principia, quæ ad productionem corporis naturalis per causalem influxum concurrunt.*
2. *Suntque, vel externa, vel internæ.*
3. *Externa, est causa efficiens.*
4. *Internæ, sunt Materia, & Forma.*

Q U A E S T I O N E S.

1. *An privatio inter causas corporis sit referenda?*

*R*esp. **N**egatur, quia Privatio, nec corporis naturalis essentiam intrinsecè constituit, nec ad ejus productionem positivè, & per influxum causalem, concurrit efficienter: Et quomodo Privatio causa esse potest? cum nihil, sive non *Ens* sit: sicut ipse Aristoteles, Privationem vocat *μη ὄν*, idque

idque non per accidens , sicut materia ipsi
est $\alpha\kappa\delta\nu$; sed simpliciter , & per se , quippe
quæ nullo pacto sit substantia: *Conf. i. Phys.*
c. 8 & 9. Regerunt quidem Peripatetici ,
& dicunt , nullam fieri corporis productio-
nem , ubi non adsit privatio , ita inquiunt ,
ex caseo vermes generari non possunt , nisi
primò ea pars casei , undè vermes generari
debent , sua formā propria privetur ; Sed
nondum tamen probant , Privationem esse
causam , vel saltem , principium : Nam 1. da-
to , privationem adesse omnibus corporibus
generabilibus , non tamen aderit cæteris
corporibus ingenerabilibus , & incorrupti-
bilis , Ergò saltem privatio , principium
non erit omniū corporum , quod tamen , in
parte Physicę generali , nunc investigamus :
si igitur Privatio in Physica deberet habere
locū , ableganda esset ad doctrinā de gene-
ratione , & non proponenda hoc loco , quod
tamen communiter isti homines faciunt .
2. Adsit privatio in omni generatione , non
tamen erit causa , vel principium : non sequi-
tur enim , Sine privatione non potest fieri
generatio , Ergo privatio est principium :
subsumerem enim , At sine loco & tempo-
re , non potest fieri generatio : Ergo locus ,
& tem-

& tempus sunt principium, & causa corporis generati: Conclusio certè absurdā, & falsā est, vel iplis patentibus: absurdā utiq;, & falsā sit oportet ipsorum propositio Major. 3. Definiunt isti Privationem, quod sit absentia formæ in Materia, cum aptitudine illam recipiendi: ita in caseo dicunt dari absentiam formæ vermis, cum aptitudine illam recipiendi, uti etiam in ligno, semine, &c. At privationem, hoc pacto explicatam, figmentum esse Aristotelis, facile videbit is, qui à præconceptis opinionibus vacuus est: nam quomodo in caseo, vel ligno, privatio dari potest formæ vermis, cū aptitudine ad illam recipiendam, cum naturalis aptitudo casei, & ligni sit, manere in eo statu, in quo nunc est: ita ut in eo tam diu maneat, donec inde ab extrinseco deturbetur: Res igitur in eo statu existentes, in quo nunc sunt, non possunt dici habere privationem aliarum formarum cum aptitudine ad illas recipiendas: esset enim hoc contra communem hanc naturæ regulam: Quod unaquæq; res, quantum in se est, tam diu maneat in suo statu naturali, donec inde ab extrinseco agente deturbetur: nisi forte aptitudinem illam ita velint explicare (ad-

juvabo eos, ne planè confundantur) quod corpora ita in uno statu non mancant, quin ex eo deturbari possint: ita corpus quiescens, dici potest habere aptitudinem ad motum, quatenus corpus illud ita est in statu quietis, ut tamen aptum sit recipere motum (non quidem naturâ suâ, sed) si ab extrinseco corpore alio, impellatur, & moveatur: sic in materia ligni, sive casei datur aptitudo ad formâ casei, vel vermis, vel alterius animalculi, non quod materia ligni, vel casei, sponte, & ex intrinseca sua naturâ se inclinet ad receptionē formæ vermis: nam lignum, & caseus, quantum in ipsis est, conantur semper in eo statu manere, in quo semel sunt; sed quod particulæ ligni, &c. ita firmiter non cohærent, quin possint per putredinem dissolvi, & à calore putredinis moderato, infinitis modis agitari, certosque situs, figuræ, ac motus acquirere, pro diversa ratione particularum infensibilium, ex quibus putrescentes res constant: quæ ubi naturæ vermis vel alterius animalculi congruunt, fiunt vermis, vel aliud animalculum, cuius vita in eo constituit, quod ibi, ex motu particularum, nata sit pars cordi analogæ, in qua alimentarius succus

succus influens, incalescit, & in partes impellitur, & dein' per continua vasa, ad corniculum refluens, circulum quendam facit, vitæq; continuationem inducit. Sed quo-
cunque modo hæc explicentur, manet ta-
men ad minimum hoc, quod impropria sit
locutio ; in caseo , in ligno, datur Privatio
formæ vermis : nam unaquæque res debet
existimari ex eo statu, in quo est : non ex eo
statu, in quo esse possit : nam aliàs dicere
possem, quod in uno corpore , daretur pri-
vatio omniū formarum, quatenus à causa a-
liqua extrinseca, omnes illæ formæ, succe-
sivè introduci possunt : Aliud est dicere, in
hoc, vel illo corpore, debet dari privatio hu-
jus, vel illius motus particularum, item hu-
jus, vel illius figure, & situs partium, ut talis,
vel talis species ex eo possit produci; Aliud
verò est dicere, in hoc corpore datur pri-
vatio : prius conceditur, posterius negatur.
Quid, quod nec propriæ Peripateticorum
Hypotheses, Privationem admittere pos-
sint : cum enim, juxta ipsos, impossibile sit,
ut naturaliter , materia vel ad momentum,
informis, id est, sine forma substantiali ex-
istat, & subsistat, formaque formæ imme-
diatè succedat , ut ne punctum quidem

temporis intercedat inter excessum prioris formæ, & introductionem recentis, quo illa sit in materia : & neque postea sit in materia , neque etiam antea , sequitur, quod quoque juxta ipsos, privatio in generatione nunquam sit : at si non sit, quomodo principium generationis esse poterit ? Possumus tamen Privationem eatenus admittere , quatenus Generationis , vel alterius mutationis, Terminus à quo, sive conditio sine qua non est : licet tamen , uti antè monui, ea huc non spectet : Sic particulæ terrestres,cum singulæ seorsim primi elementi motum sequuntur , ignis habent formam ; sed ut aëris formam possint induere , debent privari motu primi elementi , & inter globulos secundi elementi volitare , eorumque agitationem imitari : applicetur huc etiam exemplum generationis vermis, ex ligno, vel caseo.

2. *An causa finalis à consideratione Physica rejici debeat?*

Resp. Multi de rebus naturalibus agentes, pleraq; sua argumenta à fine ducere solent: at, quamvis in Ethicis, ubi sæpe congetturis

Eturis uti licet, aliquando sit piūm, considerare, quem finē conjicere possimus, Deum sibi in regendo mundo proposuisse; in physiis tamen, ubi omnia indubitatis, & apodicticis rationibus, & argumentis nīti debent, est ineptum; neq; enim tantum nobis debemus arrogare, ut, Dei consiliorum participes, scopos Dei infiniti, nos novisse existimemus: & certè mirari sæpè soleo, quod Philosophi, non incelebres, vix ultra argumentationem à fine assurgant in Philosophia, cum tamen multo facilius sit vel à causa efficiente, vel à Materia rationes desumere, quam à fine: At dices cum Cl. Kypero, l. 1. institut. Phys. c. 3. p. 42. nobis concessum quidem esse à fine argumentari, si finis cognitus nobis est. Rectè dicis, si finis nobis cognitus est: Verum fingi non potest aliquos Dei fines magis, quam alios, manifestos, & cognitos esse, cum omnes sint in imperscrutabili ejus sapientiæ abyfo: aspicimus, ac intuemur quidem admiranda Dei opera, cœlum, stellam, terram, hominem, animalia, & ex eorum inspectione attentâ, Deum, eorum effectorem, miramur; sed non conceditur nobis divinare, quo fine hæc omnia fecerit: Et profectò,

qui adeò faciles sunt in assignando , & determinando fine , næ etiam faciles sunt ad errorem , & lapsus . Atque hæc unica ratio est , quare cæteris causis Finem non addiderim : cum enim finis respectu nostri , nobis planè esset incognitus (Deum enim fines omnium rerum habere exactè cognitos , nemo dubitat , nisi qui de Dei immutabilitate , sapientia , omniscientia , &c. dubitare velit) quid attinebat eum hic addere ? (non enim volumus vanas , & sèpè impias , conjecturas ; sed veras demonstrationes exhibere) nam principia , de quibus hic agimus , non tantum debent esse principia efficiendi , & constituendi ; sed etiam cognoscendi simul : adeo ut illa principia , unde in cognitionem veritatum aliquarum , pervenire non possumus , pro genuinis principiis habenda non sint : quia igitur , ut jam dictum , & ostensum est , finis est incognitus , nec ex eo in cognitionem veritatum aliquarum phisicarum deveniri potest , non etiam , saltem respectu nostri , pro principio haber i debet , nec à nobis , ut principium , in Physica proponi , & explicari : pro conclusione hujus quæstionis teneatur aurea illa regula , quam & alibi inculcavimus : Quod nimirū nullum
fit

sit formandum de re aliqua judicium , nisi
clarè , & distinctè fuerit percepta : quod si
observasset *Cl. Kyperus*, finem inter corpo-
rum principia , & causas, non retulisset, im-
primis, cum ipse *L. I. c. I. p. 28.* dubitaret,
Utrum finis principiis , sive causis accen-
fendus esset, ex eo, quod nec causæ efficien-
tis, neque mediorum, neque ejus, quod per
media producitur , in rigore causa esset :
nam, inquit, prima causa efficiens, et si pro-
pter finem agit , finis tamen illius non est
causa. Et media pendent maximè ab effi-
ciente : & principiatum , tum ab efficiente,
tum ab internis principiis, ita quidem ut fi-
nis, qua talis est, realiter non influat: Ex du-
bio nunquam dicitur conclusio certa , nisi
tollatur omne dubium. Si igitur *Kypero*
dubium est, num finis causa sit, quare ta-
men concludit , causam esse , vel, quare in-
ter causas corporis de fine agit , ?

3. *Quæ , & qualia corporis naturalis
principia statuerint Veteres?*

Respondeo, Veteres illi , qui ante tem-
pora Aristotelis vixerunt , videntur duo
tantum agnovisse Principia, Materiam sci-

licet, & formam (non quidem famosam illam substantialem, sed) accidentalem , quam, tum in magnitudinum, ac figurarum, tum in caloris, frigoris , humiditatis, siccitatis, gravitatis, levitatis, similiumque qualitatum diversitate, collocarunt : eaque diversitas plerisque eorum , vel *Infinita* videbatur, ut *Anaximandro*, referente *Plutarcho*, l. 1 de Placitis Philosophorum. Nam licet, cuius Naturæ fuerit hoc INFINITUM, valdè controvertatur apud autores , ut *Galenus* suspicetur fuisse Ætherem , *Themistius* corpus quoddam aëre tenuius , igne tamen crassius , quia tamen ex Aristotele, Phys. 32. constat , *Anaximandrum* ex uno, contraria secrevisse, non immerito alii malunt, illud similare aliquod corpus non fuisse ; sed veluti seminarium , seu ~~natura regia~~ corporum simplicium infinitorum: vel quadruplex tantum, ignea nempè , ut *Heraclito*, *Pythagoræ*, & *Stoicis* , aërea, ut *Diogeni*, aquæ, ut *Thaleti Milesio* , *Ionicæ sectæ coryphæo*, terrea, ut *Hesiodo*. Legatur hac de re pluribus, *Eusebius*, de Euangelica præparatione, à *Georg. Trapezuntio* in latinum sermoné translatus, l. 1. c 5. p 45. *Claudius Berigardus* in Circulis Pisanis, *Joh. Chrysostomus*

sostomus Magnenus in Democrito reviviscente: Sebastianus Basso, lib. I. art. 3. intent. I. p. 7. & intent. 5. art. 1. lib. I. de Cœlo p. 156. uti etiam ipse Aristoteles, lib. I. text. 6. lib. 3. Phys. t. 27. 29. lib. 8. t. 10. lib. 4. de Cœlo, t. 42. l. 1. de generat. t. 55. 56. 57. Ubi tamen fateri oportet cum Pererio lib. 4. c. 16. Aristotelem non semper retulisse fideliter Veterum sententias, quod duabus imprimis rationibus probat D. Lipstorpius part. 3. de Aëre, p. 96. Prima est, quia pauca illa, quæ adhuc supersunt, veterum monumenta, quæ integra ad Aristotelem pervenisse, nemo dubitat, tam truncata existunt, & ita sunt in Aristotelis voluminibus dispersa, ut febricitantium potius somnia, & aniles fabulæ videantur, quam Sapientum sententiæ: cum tamen ipsos, tanquam Sapientissimos, Antiquitas venerata sit, & paucissimæ illorum tabulæ Mathematicarum plenissimæ, idem satis confirmant, tum de Pythagoricis, quibus Systema Copernicanum debemus, & alia præstantissima Geometriæ inventa, tum de Platone, quem Cicero, quasi Deum quendam Philosophorum veneratus est, 2. de Natura Deorum: quem Irenæus, Justinus, Origenes, Cyprianus,

nus, *Hilarius*, *Athanasius*, *Theodoreetus*, *Augustinus*, & Patres ferè omnes, testante **Historia Ecclesiastica**, impensè coluerunt: non dicam nunc de πνεύματι, seu *Quinqueratione Democrito*, de quo ipsa Virtus, in hoste armata, ringente licet invidia, Aristoteli Priscorum scientiam naturalem extenuanti, hanc vocem expressit, *lib. 1. de Generat. cap. 2.* quod, cum ad summum de nulla mutatione, nisi superficietenus, quicquam ullus (*Veterum*) definiverit, *præterquam DEMOCRITUS*, ipsi omnia curæ videantur fuisse, licet in modo, & ratione discrepaverit. *Secunda est*: quod, cum pleraque ex Veteribus exscripscerit, & compilarit, illorum tamen, à quibus profecit, rarissimè, vel nunquam meminit, ut potius dicat, ne quid illis debere videatur, eos de nulla re naturali, quicquam, nisi superficietenus, definivisse. *Testantur id Hippocratis scripta de Natura animantium*, è quibus tanto artificio centes effudit, ut gratiarum oblitus, ipsius nunquam meminerit. *Hactenus Lipstorpius*. Hanc in rem legi etiam potest, *præfatio Bassonis ad Lectorem*. Et quia Veteres illi, Materiam, huic Mundo præexistentem, æternam imaginabantur, æternasque etiam

cor-

corporum simplicium differentias, formas,
& qualitates, ut & æternum sine Deo mo-
tum, minutissimis materiæ illius partibus at-
tribuebant, omnem quoque hoc ipso tolle-
bant causam efficientem, unum *Anaxago-
ram* si excipias, qui, ut ex 8. *Phys. c. 1.* con-
stat, docuit, indigestam materiæ molem ab
æterno immotam, in principio tamen à
Mente, hoc est, à Deo, agitatam, & discre-
tam fuisse. Verùm, licet Veteres, ut *Par-
menides*, *Empedocles*, *Democritus*, aliique,
qui ante *Aristotelem* floruerunt, causam ef-
ficientem horum omnium, vel neglexerint,
vel negaverint, ab errore tamen illo, illos
(*Epicurum* si excipias: Hic enim hunc erro-
rem primus post *Aristotelem* propugnavit)
immunes fuisse existimo, quod nempè
Mundus ex fortuito Atomorum concursu
esset conflatus, sicut hoc, vel ex ipsius *Ari-
stotelis* testimonio, confirmatur, qui *Physic.
c. 4.* sic scribit. *Dubitare autem licet, quare
nemo Veterum Sapientum, generationis, ac
interitus causas edifferens, de Fortuna quic-
quam definiverit. Sed ut videtur, NB. ne
illi quidem putabant, quippiam fortuito fieri.
Quæ profectò veriora sunt, quam quod ibi-
dem, non multò post, hæc verba *Empedocli-**

affin-

affingit, quod dixerit, plerasque animalium
partes fortuitò factas fuisse. Non igitur ca-
 suli, aut fortunæ; sed *Naturæ* primam illam
 adscripserunt rerum omnium discretio-
 nem, ex qua tām innumerabilis processit
 corporum hujus Mundi diversitas, ac pul-
 chritudo: putabant enim, corpuscula illa,
 quæ ita cum æterno motu movebantur, ta-
 li prædita esse naturâ, ut certo elapso tem-
 pore, quæ inter se minus essent convenien-
 tia, spontè à se invicem discernerentur,
 quæ verò convenientia, coirent, & debito
 ordine, atque modo coalescerent in istam,
 quam nunc aspicimus, pulcherrimam Mun-
 di fabricam. Hinc creberrimus inter Ve-
 teres sermo, de consensu, & Dissensu cor-
 porum naturali.

C A P U T III.

De causa Efficiente.

P R A E C E P T A.

1. *Efficiens, est causa externa, à quâ corpus
 naturale producitur.*
2. *Estque non nisi unica, nempè Deus, Op-
 timus, Maximus.*

QUAE-

Q U A E S T I O N E S.

I. *Ant tantum unica sit corporis naturalis causa efficiens?*

Reſp. **M**ulti in parte generali Physicæ, quando de Causa efficiente agunt, solent eam dividere, in universalem, & Particularem, in Remotam, & Proximam, in Principalem, & Instrumentalem, in Totalem, & Partialem ; sed errant illi valde, meo quidem judicio : nam quamvis concedam, hanc divisionem, bene, & ut decet, explicatam, admitti posse in Physicæ parte speciali, imprimis, ubi agitur de corporibus, quæ quotidiè generantur, corruptuntur, alterantur, & immutantur, non puto tamen admittendam hoc loco, ubi investigamus tantum causam Universalem corporis naturalis in natura sua generica spectatam : corpus namque, de quo hic agimus, est Materia illa indefinita, sive indefinite extensa cum certa motus, & quietis mensura, atque inde resultante figura, situ, & magnitudine : quæritur nunc hujus causa efficiēs : ea certè multiplex esse non potest, sed una tantum, nempe Deus, O. M. qui fo-
ius

lus Materiam cum motus, & quietis certa mensurâ, & numero, in principio, nulla adjuvante causa alia, sive minus principali, sive instrumentalî, sive remota, sive etiam particulari, creavit.

2. *An, una & eadem sit causa conservans, quæ efficiens?*

Resp. Affir. Cum conservatio nihil aliud sit, quam continua quædam creatio (quod manifestum est, si advertamus, ad durationis naturam, eâdem planè vi, & actione opus esse ad rem quamlibet singulis momentis, quibus durat, conservandam, quâ opus est, ad eandem de novo creandam, ex eo, quod singulæ partium durationis, à reliquis nullo modo dependeant) sequitur necessariò, Deum, qui causa efficiens, & creans corporis naturalis est, etiam esse debere eiusdam causam conservantem. Nam quod materia illa indefinita cum suo motu, quæ in principio creata fuit, nunc etiam existat, hoc non habet à se (non enim ex eo quod anteà fuerit, sequitur nunc etiam eam esse debere, quia hoc punctum, & momentum, quo nunc existit, est planè divisum ab eo, in

in quo antè existit, quod proinde quoque ab eo nullo modo dependet) sed ab eadem illa causa, quæ ipsam creavit, quæque illam rursus ad hoc momentum quasi creat, sive, quod idem est, conservat:nam si Deus conservationis actum in corpore, existente in hoc momento. A. suspenderet, in nihilum iterum relaberetur, nec ullo modo in altero sequente momento B. existere posset, nisi iterum de novo à Deo crearetur.

3. *An Deus sit etiam principium cognoscendi in Physicis?*

Resp. Affirm. Quia enim solum Deum diximus esse causam efficientem corporis naturalis, perspicuum est, in Physica (imò & in tota Philosophia, quia Deus non solum corporis; sed & omnium, quæ existunt vera causa est) ex ipsius Dei cognitione, rerum ab eo creatarum explicationem deduci debere, ut scientia perfectissima, quæ est effectuum per causas, acquiri possit à nobis: quod ut fiat sine erroris periculo, nccesse est, ut recordemur, & Deum, rerum autrem, esse infinitum, & nos homunciones, finitos. Sic non recusabimus credere, si

D

Deus

Deus, vel de seipso, vel aliis, aliquid recevet, ad quod acies rationis nostræ pertinere nequit, quodque clarè non intelligimus. Neque ullo modò mirabimur multa esse, tūm in immensa ejus natura, tūm etiam in rebus ab eo creatis, quæ rationem nostram naturalem superant: Sic quoque non fatigabimus nos ullis disputationibus de *Infinito*: nos enim qui sumus finiti, & essentiæ, atque cognitionis finitos, & limitatos terminos habemus, quomodo de illo aliquid determinare, atque sic illud quasi finire, ac comprehendere valeremus? Sic denique (quod & suprà monuimus, & firmis rationibus probavimus) nullas unquam rationes, circa res naturales, à fine, quem Deus in iis faciendis sibi proposuit, desumemus. Sed ipsum, ut **CAUSAM EFFICIENTEM**, earum considerantes, videbimus, quidnam ex iis ejus attributis, quorum notitiam aliquam nos habere voluit, circa illos effectus, qui sensibus nobis apparent, ratio nostra naturalis concludendum esse ostendat. Quæ autem sint illa attributa, operosum foret hic explicare, non difficile tamen erit illa colligere ex iis, quæ impo-
sterum sumus Dei gratiâ proposituri: sunt
tamen

tamen præcipua, hæc. *Veracitas, Constantia, Immutabilitas, Simplicitas, Sapientia, Bonitas, &c.*

C A P U T I V.

De Materia.

P R A E C E P T A.

1. *Materia est causa interna, ex qua corpus naturale constituitur.*
2. *Estque nihil aliud, quam indefinita Extensio in longum, latum, & profundum.*
- 3 *Partes Materiæ, vel sunt sensiles, vel insensiles.*
4. *Insensiles sunt, quæ ob parvitatem sensus fugientes, solo intellectu in omnibus rebus naturalibus observantur : quales sunt particulæ oblongæ, & flexiles, quæ aquam constituant, &c.*
5. *Sensiles sunt, quæ ex multis insensilibus particulis compositæ, sub sensum cadunt : quales sunt, manus, pes, caput in corpore humano : ramus, truncus, & folia in arbore.*

QUAESTIONES.

1. *An Materiæ essentia consistat in Extensione?*

Reff. Aff. Ræsuppono autem, essentiam materiæ in eo ponendam esse
 (1) quod inseparabile ab ea planè est, etiam per intellectum, & sine quo materia ne ad momentum quidem subsistere potest, sive, quod eodē redit, quo posito, ipsa ponitur, ablato, ipsa tollitur, & variato, ipsa variatur.
 (2) quod absolutū quid est, & non respectivum: cum enim materia sit substantia positiva, & absoluta, oportet etiam, ut id, quod essentiam materiæ constituit, sit quid absolutum. His positis, cuvis perspicuum satis est, solam Extensionem, esse ipsam materiæ essentiam absolutam, & positivam: observamus quidē multa alia in materia; sed ea, aut separabilia sunt, aut respectiva, aut etiam ob extensionem, materiæ insunt, ita materiæ insunt, Figura, Situs, Motus, Divisibilitas, atque ex iis resultantes qualitates, quas hodiē Philosophi in Scholis appellant patibiles, ut lumen, color, gravitas, levitas, duries, mollities, &c. At Essentiam materiæ non

non consistere in *figura*, facile concedet is, qui intelligit, figuram, ipsam materiam præsupponere, ex cuius terminatione resultat: Atque si materiam interminatam cogitemus, nullam ejus figuram agnoscemus: concipere enim possumus figuram omnem afferi ab aliquo copore, nempe sublato illius, ac contiguorum motu (ita namque nulli relinquuntur materiae termini, proindeque nec figuræ) vel etiam ab omni Corpore, si supponamus unâ cum universali quiete interminatam, ac indefinitam Mundi materiam. Sic nec *Situs*, aut etiam *Motus*, materiae essentiam constituunt, quia figuram præsupponunt; nec divisibilitas quoque, quia non immediatè; sed mediante extensione materiae inest (nam materia divisibilis est, quia extensa, non autem extensa, quia divisibilis,) Sed forte essentiam materiae constituunt qualitates illæ patibiles: at præterquam quod illæ omnes oriantur ex situ, figura, motu quiete, &c. à materia quoquè, salvâ ejus essentiâ, facile tolluntur: ut quotidiana docet Experientia. Sic cera dura, frigida, & quæ adhuc nonnihil retinet odoris florum, ex quibus educta est, item saporis sui mellis, si igni admoveatur,

amittit saporis reliquias, exspirat odor, color mutatur, fit liquida, fit etiam calida, nihil interim de essentia materiae tollitur. Ita quoque à lapide rejicere possumus duritatem, quia si liquefiat, aut in pulvrisculos quam minutissimos dividatur, illam amittet, neque tamen ideo desinet esse corpus: rejicere etiam possumus colorem, quia inventiuntur lapilli adeò pellucidi, ut nullus in iis appareat color: rejicere possumus quoque gravitatem, quia licet ignis sit levissimus, non ideo minus putatur esse corpus: ac denique rejicere possumus frigus, & calorem, aliasque omnes qualitates, quia vel non considerantur in lapide, vel iis mutantibus, non ideo lapis, corporis naturam amisisse existimatur. *Quid* igitur his sublatis in corpore remanet? *EXTENSIO.* Deme à cera duritatem, frigiditatem, calorem, colorem, figuram, situm, motum, sola tamen *extensio* remanebit: quæ, ne cogitatione quidem, à corpore ceræ separari potest. *Extensio* igitur est, quæ essentiam Materię constituit, quæ sola à materia divelli nequit, *Extensio*, inquam, *in longum, latum, & profundum*, à qua divisibilitas, figura, situs, & alia dependent, ad quam reducuntur omnia,

omnia, quæ sunt in Materia. Nequè necesse est in Materia, substantiam, tanquam subjectum, cui extensio inhæret, quæque ab extensione realiter est distincta, finge-re, siquidem *Extensio* non opus habeat tali subjecto à se realiter distincto, cum per se subsistere possit, & reverà etiam per se subsistat. Quando Deus primò creabat indefinitam illam Extensionis molem, nondum in partes varias divisam, in quo, quæso, subjecto illa erat? nonne per se subsistebat? nisi fortè dicere velint Peripatetici, eam inhæsse spatiis illis imaginariis, quæ extra hunc Mundum fingunt dari, quæque ante conditum hunc Mundum ab æterno existisse, contendunt: At spatia illa NON ENS sunt, quomodo igitur *non enti*, Ens positivum inhærere dici potest? Et qui ita faciles sunt in distinguenda extensione à Materiæ essentia, ac substantia, vellem, ut auream hanc regulam attentius perpenderent. Quod non plus de re aliqua sit judicandum, quam perceptum fuit: item, Quod nihil Philosopho de rebus naturali ratione cognoscendis, pronuntiandū sit, nisi quod clarè, & distinctè perceperit. Quæro itaq; ab iis, qui extensionem à materiæ substantia

distingunt realiter, an clarè, & distinctè percipient substantiam materiæ, sine extensione, & vicissim extensionem sine materia substantia? Vera enim distinctio realis est inter duas, pluresve substantias, quas percipimus à se mutuo realiter esse distinctas, ex hoc solo, quod unam absque altera clarè, & distinctè intelligere possimus: ita Mens humana, & corpus realiter sunt distincta, quia clarè, & distinctè intelligere possumus, quid sit Mens, etsi non intelligamus, quid sit corpus, & vice versa: Si percipient (quod tamen non possunt) explicent, quid illa Materiæ substantia sit, & quæ ejus attributa? num corporea? non certè: nihil enim in ea reperitur, quod corpus aliquomodo referat: figura, situs, motus, longitudo, latitudo, profunditas, & divisibilitas, ablata sunt: quid ergo? vel purum putum nihil concipiunt, quando substantiam materiæ ab extensione distinguunt, vel confusam substantiæ incorporeæ ideam: Hoc cinè est clarè, & distinctè materia substantiam percipere? cum igitur ipsis sit impossibile, materiæ substantiam, & essentiam concipere absque extensione, cur non manus dant, ac nobiscum sentiant,

ac

ac statuant, Materiam esse ipsissimam extensionem, & extensionem esse ipsissimam materiam. Sed ne captioni locus relinquatur, notandum, quod extensio duobus modis spectari possit, 1. ut constituens naturā substantiæ corporeæ. 2. ut modus substantiæ, quatenus scilicet unum, & idem corpus, retinendo suam eandem quantitatem, substantialemque extensionem, diversis valde modis, nempè vel magis secundum longitudinem, & minus secundum latitudinem, & profunditatem, vel minus secundum longitudinem, & magis secundum latitudinem, ac profunditatem, extendi potest. Priori modo spectata *extensio*, nihil aliud est, quam ipsa materia, sive substantia extensa: atque ita etiam ea à nobis in hac quæstione tantum consideratur. Sed regerunt, aliud esse materiam, quæ est de *Categoriam* substantiæ, aliud verò extensionem, quæ est de *Categoriam* Quantitatis. En insigne præjudicium! quod à præceptore suo Aristotele haurerunt: docuit ille decem esse summa rerum genera, sive *Categorias*: quarum primam assignavit substantiæ, cæteras novem, accidentibus, inter quæ primum locum, velut antesignanus, occupat *Quantitas*. At num

ex illa Aristotelis doctrinâ de essentia materiæ, & extensionis judicare fas est? non profectò hîc Aristoteles nobis norma esse potest: Decem illæ categoriæ, sive summa rerum genera, pestis sunt in Philosophiâ, cum in illis entia multiplicentur sine necessitate. Viderunt hoc quoque multi ex ipsis Peripateticis, qui magis ingenui, & candidi sunt: hinc non decem, sed duas solùm categorias statuerunt, *Substantiam nimirum,* & *Qualitatem*, quamvis nec hoc fatis accurate, & benè: cum non nisi duæ hæ categoriæ, sive potius, summa rerum genera, dentur, *Substantia nempè materialis, & intelle-*
ctualis, sive cogitativa; si quid verò præterea in substantia, tum materiali, tum intellectuali, reperitur, cogitandum, illud non Ens aliquod reale, ab iis substantiis realiter distinctum, esse, sed tantum modum: ita motus, figura, situs, magnitudo (ut de modis substantiæ intellectualis, jam nihil dicam) non nisi materiæ varii sunt modi, qui per nullam potentiam separatim ab ipsa existere possunt; quod si autem non modi, sed ens reale essent, non solùm forent substantiæ (cum omne ens reale sit substantia) sed etiam per se absque omni materiâ subsistere possent:

possent : colores verò , odores , sapore , & si quæ his similia sunt , non nisi sensus quidam in cogitatione nostra existentes sunt , neq; minus à corporibus differentes , quam dolor differt à figura , & motu gladii , vel cultri , dolorem inferentis : Ac denique gravitas , durities , vires calefaciendi , attrahendi , aliæque omnes qualitates , quas in materia observamus , in solo motu , motusque privatione , & partium configuratione , & situ consistunt : possumus tamen , nemini videamur rigidi censores , numerum categoriarum aliquomodò retinere , si categorias sumamus , non pro veris , & realibus Entibus ; sed pro communibus prædicandi modis , prout ita quoque sentit *Rodericus de Arriaga*.

2. *An una sit omnium Corporum Materia?*

Resp. Hæc quæstio facile deciditur ex iis , quæ in superiori quæstione diximus : cum enim materia essentia in sola extensione consistat , eaque in omnibus corporibus una , & eadem reperiatur , non potest non etiam omnium corporum una , & eadem esse materia . *Clarissimus Sperlingius* ,
lib. 3.

lib. 3. institut. Physicar. c. 3. q. 1. p. 470.
 existimat, tot esse in corporibus diversas
 materias, quot sunt diversæ formæ. Verba
 ejus hæc sunt. *Ut cælum formam peculia-*
rem habet, ita & peculiarem Materiam.
Ratio, quia inter materiam, & formam dan-
da proportio: Valet ubique: Alia forma, al-
lia materia. Ut in compositis, alia materia
Leonis, alia canis, alia quercus, alia hirun-
dinis, alia auri est, ita & in simplicibus, alia
cæli, alia ignis, alia aëris, alia aquæ, alia
terræ est: Eadem enim ubique ratio, propor-
tio nempè inter materiam, & formam, inter
actum, ut loquuntur, & potentiam. Non for-
ma quælibet, quamlibet informat materiam;
sed certa certam. Verum non possum non
hīc modestè à clarissimo Viro, mihi aliàs a-
amicissimo, dissentire: nam

Diversum sentire duos de rebus ijsdem
Incolumi licuit semper Amicitia.

Si enim tot essent diversæ materiæ, quot
 formæ, ostendenda erat illa diversitas, &
 in quo illa consisteret, explicanda: neque
 enim oportet de re aliqua judicium ferre,
 nisi clare, & distinctè à nobis prius fuerit
 percepta: Quid, quod ipse *Vir Clarissimus*
statuat, solam formam esse, quæ dat distin-
gui:

gui: quomodo igitur materia unius corporis, ab alterius corporis materia distincta, & diversa erit, cum forma non sit? separatur à cœlo cogitatione forma, separetur etiam pari modo ab aquâ, forma: quæstio jam oritur, an una, & eadem sit cœli, & aquæ materia, postquam ab utroque forma separata est? Nos affirmamus, quia utробique una, & eadem est extensio; sed *Sperlingius* negat: at quomodo illæ materiæ specificè (nam numericè esse distinctas, nos ipsi lumbentes damus) poterunt esse distinctæ? si quidem omnis distinctio, vel ipso judice, à forma sit, (quam supposuimus hîc à cœlo, & aqua, cogitatione separatam esse.) Forma enim secundum ipsum, *dat esse, dat distingui, dat operari*. Nequè sufficiebat ipsi dicere: ubi forma alia est, ibi materia alia est; oportebat enim prius ipsum certò, & clarè cognoscere, alia quædam in materia cœli esse attributa essentialia, & intrinseca, & alia in materia aquæ, antequam concluderet, Aliam formam, aliam requirere materiam: aliàs namque illud tam facile posset rejici, quam à Cl. Viro afferit: si igitur *D. Sperlingius* nobis explicuerit, & probaverit alia quædam attributa, & proprietates inve-

inveniri in materia cœli, & alia attributa in materia aquæ, nos libentes, & sine tergiversatione, in ipsius descendemus sententiam: Nos hactenus in materia cœli, nihil præter extensionem, & quæ extensionem immediate consequuntur, percipere potuimus, quam quia eandem quoque in aqua esse percepimus, hinc idenditatem utriusque materiæ specificam collegimus. Quod si tamen præcisè urgeat, *Aliam formam, aliam etiam requirere materiam*, dicimus, illud effatum, neque in artificialibus, neque in naturalibus, verum esse Eadem illa ligna, ferramenta, funiculi, & plumbum, quæ materia horologii sunt, possunt etiam esse materia alterius automatis, diversani licet formam ab horologio habentis. Ita quoque eadem illa substantia extensa, quæ est & dicitur Aqua, quando in particulas magis à se invicem separatas, ac celeriter motas, est divisa à calore, est aër, quando adhuc celerius agitatur, ut simul corpus nostrum, aliaq; in aëre posita, sensibili ratione concutiat, vocatur Ventus: sicut etiam eadem particulæ terrestres, cum singuli seorsim, primi elemēti motum sequuntur, ignis formam habent, quando vero inter globulos

los secundi elementi volitantes, eorum agitationem imitantur, aëris induunt formam : idem judicium de cæteris fieri potest, & debet.

3. *An Materia sit substantia completa,
& perfecta?*

Resp. Nihil magis apud Peripateticos tritum, quam, Materiam esse substantiam incompletam, atque imperfectam : rationem si petas, hanc prompti dant, quia per se corpus non constituit, neque se solâ subsistit. Verum qui ad immensam Dei potentiam, & perfectissimam ejus operationem attendit, non potest existimare illum unquam quicquam fecisse, quod non omnibus suis numeris fuerit absolutissimum : Materia igitur, quia terminus creationis fuit, non potest non esse substantia perfecta, ac completa : Et quid, quæso, ipsi ad ultiorem substantię perfectionem deeſt? an non per se subsistit, sicut & aliæ substantiæ? Sed fortassis ideo dicent eam esse substantiam imperfectam, quia per se corpus integrum non constituit : at falsum est, eam per se corpus non constituere : cum enim Deus

O. M.

O. M. primò crearet Materiam sine motu, situ, figura (quam posteà in varias partes divisit, agitavit, &c.) nonne per se corpus constituebat ? nonne etiam perfecta, & completa substantia erat ? Et quid facit motus, figura, situs ad perfectionem substantiæ, cum non nisi modi sint ? An ideo ignis magis est perfecta substantia , quam materia, quia motu gaudet ? profecto , si materia perfecta, & completa substantia non est, neque ignis quoque perfecta, & completa substantia erit ; quia ignis omnem suam substantialitatem (date veniam verbis !) à materia habet, Non malè Aristoteles VII. Metaphysic cap. 3. Si hæc (Materia) non esset substantia, quæ alia (NB.) esset, fugeret nos. Demis enim cæteris, nihil aliud remanere videtur, scilicet præter materiam. Quod si autem materiam quis appellare velit substantiam incompletam eo sensu, quod sola corpus aliquod specificum , & formale non constituat; sed ad illud constituendum, necessariò ad aliud referri debeat. veluti cum dicimus, corpus substantiam esse incompletam, quia refertur ad aliam aliquam substantiam , puta Mentem , cum qua unum per se, nempè hominem, componit,

ponit, ei non quidem admodum repugnabimus: nam cum constet de re, cessent de nomine lites: sciet tamen, satius esse ab illa voce abstinere, quam ea uti: ne illi, qui audiunt, vel legunt, materiam à nobis vocari incompletam substantiam, judicent, nos cum *Peripateticis* docere, Materiam per se completere non subsistere. *Vulgus enim ex identitate vocis, de identitate rei ipsius, judicare solet.*

4. *An eadem Materiæ moles in Mundo nunc reperiatur, quæ fuit ab initio à Deo creata?*

Resþ. *Vulgus, & qui sensibus nimiùm fidunt, putant, materiam toties ex nihilo recens fieri, suoque accessu Universi molem augere, quoties noviter apparat, & in nihilum etiam relabi, quoties evanescit, & in auras abit.* Sed quis non intelligit, materiam vitis, arboris, vel alterius herbulæ è terra pullulantis, non istic loci è nihilo factam; sed aliudè advectam fuisse? ac quamvis, quando ligna, aliaque combustibilia comburuntur, oculus non videat, quo abeat illa materia, intellectus tamen satis clarè cognoscit, eam in nihilum non abire;

sed eādem semper quantitate , si non hīc,
såltem alibi , permanere . Causa autem si
quæratur, quare eadem Materiæ quantitas,
& mensura nunc permaneat , quæ fuit ab
initio à Deo producta, ea certè non ex sola
natura materiæ dari potest, (quod impru-
denter nonnulli hodie faciunt) quia solius
Dei est, sic interna, propriâque Naturæ suæ
necessitate subsistere, ut nihil ipsi decede-
re, vel accedere queat : materia verò (imò
& omnis creaturâ, sive materialis ea sit, si-
ve intellectualis) ita à Deo in *esse* depen-
det, divinæque ejus potestati subiecta est,
ut nihil omnino ex se ipso , & à se ipso ;
sed à Deo habeat , quicquid habet. Li-
cet verè Deus liberè , & non necessariò
operetur, facilit tamen semper id, quod opti-
mum est, ejusque naturæ quàm maximè
consentaneum. Et quia in omni opere suo,
quam maximè sapiens, constans , & immu-
tabilis est, ideo hæc Dei sapientia , cum
constantि, atque immutabili , simplicique
ejus operatione conjuncta, unicum est ar-
gumentum , quo certi reddimur , eandem
omnino Materiæ molem , ac mensuram,
jam in Mundo reperiri, quæ fuit ab initio,
neque vel tantillum de ea in nihilum eva-
nuisse,

nuisse, vel ei etiam additum fuisse. Quid namque moveret sapientissimum Deum, eam Materiæ molem creare, cui aliquid addendum, vel demendum sibi sciret impostrum? Neque novæ materiæ productionem, confirmant Cometæ, & Stellæ noviter, & ex improviso sæpè conspectæ: nam infrà in parte speciali ostendemus, illos cometas, & stellas, non creatas noviter ex nihilo; sed vel ex præexistente materia productas esse, vel jam anteà, densis quibusdam maculis involutas, exstissee, ac postmodum, iis discussis, & dissolutis, apparuisse: Eorum enim studium laudare minimè possum, qui, conspectis insolitis phænomenis, mox ad causam aliquam huperphysicam, & supernaturalem, recurrere solent, parum, vel nihil solliciti de causâ aliqua naturali.

5. *Quæ Aristotelis, & Aristotelicorum de Materia sit sententia?*

Resp. Quæ Aristotelis de Materia opinio, ac sententia sit, aliquo modo constare potest ex dupli ejusdem descriptione, quam in suis scriptis exhibet, *Prima exstat VII. Metaphysic. cap. 3.* his verbis. *Dico*

autem Materiam, quæ per se ipsam, neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud quippiam dicitur, quibus Ens determinatur. Altera verò exstat i Physic. c. 9. Materiam voco primum uniuscujusque subjectum, ex quo inexistente fit, vel, sicut ea habetur 2 Physic. c. 3. Materia est id, ex quo inexistente aliquid fit. Quamvis autem hæ definitiones sanam possint admittere interpretationem, peccat tamen prima in eo, quod negativa tantùm sit; altera verò in eo, quod defumta sit ab extrinseco quodam Materiæ respectu: Neque, quod memini, alibi clarè explicat Aristoteles, quid sit illud, quod nec est quid, nec quale, nec quantum, quodque omnibus corporibus ita inest, ut omnium formarum, & accidentium primum sit subjectum. Videtur quidem in nonnullis locis Materiam cum ipsa extensione confundere, ut quando iv Physic. c. 2. text. 15. Materiam vocat $\alpha\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$ & $\mu\epsilon\gamma\theta\varsigma$, Extensionem, seu dimensionem Magnitudinis, (Non ignoro tamen, Deusingium in Theatro Naturæ p. 355. ex hoc loco contrarium probare, quando $\alpha\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$ & $\mu\epsilon\gamma\theta\varsigma$ interpretatur, Intervallum magnitudinis, quod Aristoteles ab ipsa magnitudine diuersum

versum esse voluit, Sicut, *inquit*, & textu præcedente, inter magnitudinem, & magnitudinis materiam distinxit. Ita nihil ferè in Aristotele occurrit, quod non prolibitu interpretum explicari potest !) Attamen in multis aliis locis, iterum illa manifeste distinguit, ut 7. *Metaphysic.* c. 3. text. 8. *Longitudo, Latitudo, & Profunditas*, *inquit*, *Quantitates quædam sunt, non substantia*: *Quantitas enim substantia non est; sed magis, cui hæ primò insunt*. Sed infrequens non est, Aristotelem sibi in suis scriptis contradicere, quod, si ratio mei instituti permitteret, multis Exemplis ostendere possem. Quæ *Aristotelicorum de Materia Mens* sit, difficile cognitu est, ita hīc ipsi inter se dissentunt ! Actum entitativum, Materiæ derogant *Thomistæ*. Videatur *Thomas* 1. part. q. 66. art. 1 contra quem prolixè disputat *Johannes de Rhada* part. 2. *Controversiar. Theologic.* 12. Formam corporeitatis eidem attribuit *Avicenna*: contra quem disputat *Suarezius* disputat. 3. *de Materiali causa substantiæ, Sect. 3. t. 12.* 21. *Gisbertus Isendoorn, in Medulla Physic.* lib. 1. cap. 2. quæst. 9. p. 95. Neque prælia, quæ inter se ipsos de Materiæ quantitate inde-

indeterminata , potentia tam universali , quam particulari , formæ carentiâ , appetitu innato ad omnes omnino formas , tam præteritas , & præsentes , quam etiam futuras , miscent , etiamnum cessant . Hoc unicum tamen ex ipsorum scriptis , ut certum , & indubitatum , colligo , Materiam Aristotelicorum esse Monstrum , informe , horrendum , ingens , quod & ipsi approbare videntur , quādo ea ab ipsis , his insignitur elogiis , ut vocetur , *Non Ens , Protheus , Mater , Fæmina , Turpe quid , Multitudo , Fæx primæ vitæ , Chaos , Sylva , Meretrix , &c.* Auget monstrositatem hujus Materiæ , *Robertus Flud , alias de Fluctibus , quando Tomo 1. de Macrocosmi Historia , cap. 4 p. m. 25.* eam describit , quod sit *Ens primordiale infinitum , informe , in potentia tam ad aliquid , quam ad nihil , nullius quantitatis , seu dimensionis , cum nec parvum , nec magnum dici possit ; nullius qualitatis , cum nec sit subtile , nec spissum , nec perceptibile , nullius proprietatis , nec inclinationis , non movens , nec quiescens , sine ullo colore , aut qualitate elementari , omnium tamen actionum principium passivum primum , rerumque capax . Conferatur etiam pag. 26. ubi hanc monstrosam*

istrofam Materiam, sub forma fumi niger-
rimi, seu vaporis, seu umbræ horrendæ,
seu abyssi tenebroſæ, seu denique massæ
cujusdam rudis, indigestæ, & impercepti-
bilis, depictam videbit *Lector* in hunc mo-
dum.

Et sic in infinitum.

Et sic in infinitum.

Et sic in infinitum.

Et sic in infinitum.

Hi Philosophi, si ex clarè, & distinctè
perceptis judicare didicissent, non in tam
ineptas, & philosopho planè indignas, in-
cidissent opiniones, aut verius, commenta,
& nugas. Ego certè vix à me impetrare
possum, ut credam, istos homines, proprios
suos conceptus, & verba intellexisse: uti-

nam tandem saperent, & in judicando non ita præcipites essent!

6. An dentur Materiæ partes insensiles?

Resp. Magnum infantiae præjudicium est, quo *Vulgus* ea judicat non existere, quæ oculis suis corporeis non videt : atque utinam ab eo liberi essemus omnes ! nemo nostrum est, qui non, in puerili, & infantili sua ætate, crediderit, omne hoc spatium, quod inter extimam Terræ superficiem, & Stellas est, omni corpore vacuum esse, quia nullum ibi corpus vidi. Et multi quoque ex Philosophis, qui Infantiae suæ præjudicia nondum deposuerunt, sibi firmiter persuadent, nullum existere corpus, quod non sit sensibile, quia ab adolescentia de iis tantum cogitaverunt corporibus, quæ sub sensu suos caderent ; Verum qui, non sensu, sed intellectu pro mensura, & norma cognoscibilium habent, non possunt non, præter partes materiæ sensibiles, innumeras insensibiles statuere : quia enim totum hoc Universum, unus, & sibi omni ex parte cohærens globus non est, sed in inumeras partes distinctas, atque divisa est Mundi materia,

ria, unde subtilissimus ille cœlorum, stellarumque suâ luce fulgentium liquor, crassiorumque corporum compositio, & textura, orta sunt, hinc non mirum, si innumeræ dentur partes tam exiguae, ut nullo sensu percipientur: Et si corporum generationem, corruptionem, dissolutionem, plurimasque alias operationes, attentius, prout pars est, consideremus, indubios nos facient ea, atque certos, de infinitis, quas diximus, particulis insensibilibus. Cresent herbæ, plantæ, arbores in magnam molem, per appositionem, proculdubio, alicujus corporis (nisi enim ipsis aliquid adjiceretur, impossibile foret, ut vel tantillum crescerent) at quis sensu unquam deprehendit, quænam illa sint corpuscula, quæ herbis, plantis, arboribusque accesserunt? Quod creverint arbores, observamus quidem; sed quod crescant, nemo Mortalium vedit unquam: aquas, si in æstate Soli exponantur, diminui videmus, ob partium, sine dubio, ex iis evaporationem, atque exhalationem: at quis vedit unquam, vel sensu deprehendit istas particulæ evaporantes, & exhalantes! Magnes attrahit ferrum, num per partes sensibiles? at illæ non conspicuntur, nec

conspicte unquam fuerunt : fortè per qualitatem aliquam occultam : sic vulgo quidem dicunt Philosophi ; ast dicunt tantum, & non probant : oportet namque, ut inter agens & patiens, contactus sit corporeus , quod & Aristoteles videtur observasse 7. *Physicorum. cap. 2.* Et nonne ipsi docent, qualitates sine subjecto subsistere non posse ? multò minus de subjecto in subjectum transfire ? oportet igitur, ut sint partes, vel effluvia insensibilia, (quæ nos particulas striatas nuncupamus) quæ ferrum , alia que corpora magnetica, intra activitatem magnetis consistentia , ad magnetem pellunt. Hoc unicum exemplum satis esse posset ad sententiam nostram confirmandam ; sed unum, vel alterum adhuc addere placet, ut res tantò fiat clarior , ac manifestior. Crystalla, & vitra ad tam exquisitum levorem perduci non posse, ut nihil scabri in illis reperiatur , argumento sunt muscæ , quæ Crystallum, quantumvis tersum, pedibus decurrunt, non tām adhæsione tenacis, & lenti cuiusdam humoris, alioquin & mortuæ eidem suspenderentur ; sed tenuiculis pedum fibris, sepe inæqualibus particulis infigentibus : at inæquales illæ parti-

particulæ nonne insensibiles sunt ? nonne omnem visus nostri aciem fugiunt ? & quanto minores oportet esse fibras illas pedum Muscarum ! Vortices cœlorum, in quibus planetæ, inter quos Terra quoque nostra numeranda est, gyrantur, corpora esse, nemo ratione utens, negabit, aut negare potest : at quis illos ullo unquam percepit sensu ? sed ne quis queratur, illos vortices vel nimium à nobis remotos esse, vel, quod in vortice telluris nostræ contingit, eorum materiam ad magnam distantiam vaporibus, & exhalationibus immixtam esse, en puram ipsi istam materiam exhibebo, ut tentet, num vel eam videre, vel, si hoc minus succedit, olfacere queat. Præstabo autem id benificio tubi Vitrei 2. pedum, & 8. vel 9. circiter digitorum longi, ante paucos annos primum inventi (cujus tubi figuram *vide c. 9. de loco.*) Quando enim illum argento vivo impleo, posteaque orificium ejus inversum, &, dígito ad illud vehementer applicato, in vasculum argento vivo plenum immergo, argentum vivum, quod in tubo continetur, descendit, & non universum quidem ; verum ea tantum quantitate effluit, ut id, quod supereft, hæretque in tubo, 2. ped. & 6. præter propter digitorum

rum altitudinem servet, ita ut in tubo 2 ped.
& 8. digitorum longo, spatiū duorum di-
gitorum in superiori inversi tubi parte relin-
quatur, quod spatiū materiā cœlesti, sive
vorticis Cœli Telluris nostræ plenum est,
sicut suo loco plenius demonstrabitur: applica
nunc, quisquis es, qui ob sensuum præjudicia
existimas omne corpus necessariò esse debe-
re sensibile, nullasque dari particulas insensi-
biles, tubum istum oculo tuo, vel, si ita tibi
visum est, naribus, & experire, num eam ma-
teriam, vel videre, vel olfacere, imò vel ullo
alio sensu percipere valeas? Quod si ista Ma-
teria in tanta copia ibi existens, ullo sensu
percipi nequeat, quantò minus singulæ ejus
minutissimæ particulæ, quæ innumeræ
sunt. Et sanè mirum esse non debet, quod
valdè minuta corpora sentire nequeamus,
cum ipsi nervi nostri, qui moveri debent ab
objectis, ad sensum efficiendum, non sint mi-
nutissimi; sed funicularum instar ex multis
particulis se minoribus contexti, neque pro-
inde à minutissimis corporibus moveri pos-
sint. Nec est, quod quis nobis objiciat, non
posse ab insensibilibus particulis corpora, &
partes sensibiles constitui: nam sicut filamen-
ta serica singula seorsim sumta, nullum colo-

rem


rem habere videntur , conjuncta tamen , & simul sumta , filum album , rubrum , aliove colore tinctum , componunt : ita etiam singulae particulae seorsim sumtæ , licet insensibiles videantur esse , si tamen conjungantur , corpus aliquod sensibile constituunt . Neq ; hoc sit sine ratione : nam particulae , quæ singulari nervos membrorum nostrorum movere nequeunt , simul junctæ , movere possunt .

7. *An dentur Atomi?*

Resp. Gravissima hæc controversia est , quæ multa secula , doctorum ingenia fatigavit . Quod si per Atomos intelligantur corpuscula quædam tam minuta , ut sensus effugiant , varias tamen magnitudines , figuræ , & motus habentia , certo certius est , sicut illud quoque ex quæstione 6. perspicuum est , tales atomos revera existere ; Verum quia Atomorum patroni , Atomos fingunt esse corpuscula planè in natura , & substantia suâ , indivisibilia , non putamus tales reverà dari : Cum enim , si quæ essent , necessario deberent esse extenſæ , quantumvis parvæ fingerentur , possemus adhuc unamquamque ex ipsis in duas , aut plures minorres

res cogitatione dividere, ac proinde agnoscere esse divisibiles : nihil namque possumus cogitatione dividere, quin hoc ipso cognoscamus esse divisibile : atque ideo, si judicaremus id ipsum esse indivisible, judicium nostrum à cognitione dissentiret, quod contra generalem illam logicæ regulam est, quæ docet, *judicium nostrum cum cognitione semper debere esse conforme.* Quid, quod talem divisionem materiae in particulas actu indefinitas, clarissimè etiam demonstret motus iste corporum in circulo non perfecto, & quantumlibet irregulare, qui sit absque ulla condensatione, vel vacuo, (de quo agetur à nobis cap. 6. de motu q. 4.) quia enim in tali motu materia, quæ jam implet spatium G. successivè implet omnia spatia innumeris gradibus minoris, quæ sunt inter G. & E. requiritur etiam necessario, ut aliqua ejus pars ad innumerabiles illorum spatiorum mensuras, figuram suam accommodet, quod fieri nequit, nisi omnes imaginabiles ejus particulæ, quæ sunt revera innumeræ, à se mutuo aliquando removeantur, quæ quantulacunque remotio, vera divisio est.

Et



Et quamvis, quomodo illa indefinita divisio fiat, cogitatione comprehendere non valeamus, dubitare tamen non debemus, quin fiat, quia clarè percipimus illam necessario sequi ex Natura Materiæ nobis evidentissimè cognita. Et licet fingeremus, Deum efficere voluisse, ut aliqua Materiæ particula in alias minores, à creatura aliqua non divideretur, non tamen illa propterea indivisibilis esset dicenda, quia Deus adhuc ejusdem dividendæ potestatem, ac facultatem sibi retineret : non enim dicent *Adversarij*, contradictorium esse, materiam tam minimā nunquam esse, quin ad minorēm quantitatēm, si non à Creatura, à Deo faltem, redigi possit : nam ponant atomum, quæ tam est minima, ut amplius non dividatur : quæro de illa atomo, an sit extensa ?

nemo


nemo dubitabit, qui novit, ipsam materiam esse ipsam extensionem : imo nec dubitabunt ii, qui extensionem à materia, ut accidens à substantia, distinguunt : si extensa est, an habeat partem extra partem, & num clarè, & distinctè una pars extra alteram partem concipi possit ? non certè negare hoc possunt, tum quia ratio formalis extensionis in eo consistit, ut habeat partem extra partem, tum etiam, quia ipsi concedunt divisionem quantitatis mentalem in infinitum (melius dicerent, in indefinitum) quam certè concedere non possent, nisi ipsi mente sua in extensione, etiam minimâ, partem extra partem, clarè conciperent : Undè ita firmissimè concludo. Si omnis extensio, etiam minima, partem habeat extra partem, & si nos quoque in ea, partem extra partem, clarè concipere possumus, sequitur, Deum realiter illas partes à se invicem separare, id est, dividere posse. Verum prius. Ergò & posterius. Ratio Majoris est, quia quicquid nos clarè, & distinctè percipere valemus, id nullam involvit repugnantiam, sive contradictionem, ut à Deo efficiatur : Quia autem Doctrina Atomorum à nonnullis, CLAVIS Medicinæ, & Physicæ

Physicæ vocatur, operæ pretium nos facturos judicamus, si paucis argumenta illa, quæ vulgo pro Atomis in medium adferri solent, examinemus: Ad duo imprimis *Cl. Sperlingius* ea reducit, *lib. 5. institut. Phys. cap. 2. quæst. 1. p. m. 801.* nempè ad *Rationem*, & experientiam. *Atomos*, inquit, affirmat *Ratio*, quia ab *Infinito* abhorret *Natura*: *Modum ergo, Metamque in secundis corporum tenet molibus*; nec ruit sine lege, sine fine. *Argumentamur. Quicquid in corporum divisionibus acquiescit in minimis*, illud exhibet *Atomos*. *Natura in corporum divisionibus acquiescit in minimis*. Ergò *Natura* exhibet *Atomos*: Major constat, quia minima illa nihil præter atomos sunt. Minor probatur, quia necessum est Naturam id facere, ne detur progressus in infinitum. Sic dividat arborem *Natura* centies milles. Tandem tamen desistit, ne ipsa finita, ausu vano, infinitas affectet operas. Hinc quātam cumque aquæ, aut terræ, aut rei alicuius offendamus partem, querere de eâ nihil dubitemus, an minima sit, an non sit? Si est, adest minimum naturæ, adest insectile, adest immutabile. Si non est, dandum igitur minus, quo de nostra recurrit quæstio, an hos

verè minimum sit, an non sit? Si est, adest jam illud Naturæ minimum, illud insectile, illud immutabile. Si non est, redit quæstio, num hoc minus vicissim se habeat minus? quod si dixeris, in infinitum progredimur ambo. Quod ne fiat, consistendum, minima-que Naturæ agnoscenda. Hactenus Cl. Sperlingius. Verùm respondeo. Natura abhorret (liceat nunc cum ipso loqui) ab infinito; sed non ab indefinito. Dicam clarius. Natura partes materiæ in tam mini- mas particulas non divisit, neque adhuc di- vidit, quin eas non solum queat in minores dividere; sed sàpè etiam actu in multò mi- nores dividat: estque illud manifestum iis, qui considerant, quomodo continuò ex at- tritu particularum secundi elementi non dum perfectè sphäericarum; sed angulosa- rum, abradantur particulæ longè minores particulis secundi elementi, quæ particulæ non nisi ramenta innumera sunt, quæ ad- huc sàpè magnitudinem suam variant, ut alia ex iis minora fiant; neque tamen ideo Natura dividendo in infinitum progredi- tur; sed tantum in indefinitum: h. e. actu natura non semper in absolute minimo subsistit: nam quamvis particulæ in uno aliquo

aliquo corpore determinatam requirant magnitudinem, & figuram, ita ut, respectu istius corporis, sub alia magnitudine, & figura subsistere non possit, absolute tamē loquendo, particulæ illæ, indivisibiles intrinsecè non sunt : cum tam minimæ non sint, quin sub multo minori magnitudine subsistere valeant, ita tamen, ut tunc & amittant naturam totius compositi, & ineptæ fiant ad illud compositum constituendum : Quod accuratè observari debet, ad superandum, in hoc negotio, quasvis difficultates. Sic aquæ particulæ, non sub quavis magnitudine, & figura subsistunt ; sed debent esse læves, ac oblongæ, & interdum etiam flexiles : adeò ut, ubi læves, & oblongæ esse desierint, ineptæ fiant ad aquam constituendam : Sic quoque particulæ olei semper debent esse ramosæ ; adeò ut si rami isti abradantur, vel atterantur à causa extrinsecè adveniente, particulæ istæ etiam ineptæ reddantur ad oleum constituendum : Quod si igitur hæc Sperlingij mens esset, quod Natura in certa corporis specie non admittat quamlibet divisionem ; sed necessariò in certa, & determinata magnitudine subsistat, ultra quam in hoc specifico

corpore non progreditur, facilè amicè in hac controversia conveniremus, neq; tunc tantoperè à doctrinâ atomorum alieni esse mus: ita enim certum est, aquam suas habere atomos, nempe, particulas læves, & ob longas, oleum, suas, nimirum particulas ramosas: interim tamen, quamvis istæ particulæ respectu hujus, vel istius corporis specifici, sub quavis magnitudine subsistere ne queant, non repugnat tamen, ut eadem illæ particulæ respectu alterius corporis sub minori magnitudine subsistant, vel ut à causa aliqua extrinseca in plures alias minores parriculas dividatur. Atomum olei diximus esse particulam aliquam insensibilem ramosam, qualis simplex, figurâ A & composita, sive alteri particulæ ramosæ implicata, figurâ B repræsentatur.



At quia clarè, & distinctè in particula ramosa A concipere possumus partem 1. esse extra 2. & 2. extra 3. & 3. extra 4. & 4. extra 5.
atque

atque sic porrò , facile etiam intelligimus eas partes, non solum posse à se invicem separari, atque ita dividi ; sed sàpè quoque , accedente vehementissimo motu , vel alia causa, actu , & revera separari. Verùm hìc scio *Sperlingium* à nobis dissentire : putat enim ille non solum minimam aquæ particulam esse aquam , & minimam olei particulam , esse oleum (quod nos negamus , quia aqua, & oleum congeriem notant corpusculorum) sed etiam minimam illam particulam, ita absolutè , & simpliciter esse minimam, ut nullo modo dividi amplius possit, aut etiam dividatur : quæ tamen ejus sententia repugnare videtur propriæ ipsius Hypothesi de Atomis mixtis plantarum, & animalium : si namque quævis atomus mixta, ex igne, aëre, aqua, & terrâ constet, quomodo omnis atomus ita minima esse potest, ut nullo modo amplius dividi queat? annon atomus illa mixta divisibilis est in quatuor illa corpora heterogenea, ex quibus constat ? imprimis quia, juxta ipsius mentem, singula illa corpuscula loco , & situ disjuncta sunt : in quo enim loco, in atomo mixta, ignis est, in eodem loco nec est, nec esse potest aqua : & sic porrò . Quid , quod ipse

Sperlingius unam atomum alterā esse maiorem dicat, quod si hoc est verum, nonne major illa atomus ad minimum divisibilis erit in illam partem, qua magnitudine superat alteram atomum minorem? Dicet fortè aliquis (quod an etiam *Cf. Sperlingius* dicturus sit, nescio) Si atomus mixta divideretur, tunc amissuram illam, naturam mixti. Sed, quid tum? amittat mixti naturam, modò partes adhuc ejus supersint: ædificium quis nescit dividi, & destrui posse, ut tamen partes ejus materiales supersint? ita si atomus mixta sit, quæ quatuor constat atomis simplicibus, dividaturque in 4 illas atomos simplices, tunc quidem atomus illa mixta, non amplius manebit corpus mixtum; sed tamen atomi illæ quatuor, salvæ manebunt. Et quid opus est ulteriori refutatione! hoc enim posito (quod tamen non concedimus de omnibus particulis: materiam enim primi elementi, quæ non nisi diversæ figuræ, & magnitudinis ramenta sunt, ex continua attritione globulorum, nondum perfectè spæricorum, orta, ut & particulæ tertii elementi semper mutare suam magnitudinem, & indefinite dividi, constat tum ex iis, quæ supra diximus, tum magis

magis patebit ex iis, quæ de triplici elementorum Materia, in speciali parte, philosophabimur) quod magno molimine conatur probare *Sperlingius*, nempe, dari corpuscula, quæ ulterius non dividuntur (qualia imprimis sunt particulæ secundi elementi, in figuram sphæricam exactè tornatae) imò quæ nec ab ulla creatura dividi possunt, non sequitur tamen ea indivisibilia intrinsecè esse, vel ea à Deo dividi non posse : Atq; ita breviter quidem: attamen solidè, & nervosè satisfactum est primo *Sperlingij* argumento. Alterum desumit ab Experientia. Experientiam *inquit*, qui desiderat, ante datas explicationes adeat. Paucis, pulvis, qui vestibus, libris, parietibus, aliisque nonnunquam adhæret, nonne sub Atomorum specie sèpè istuc defertur ? ex nihilo enim cum non venit, neque etiam visibiliter semper, sed non raro sub minima quantitate, quæ omnem fugit visum, corporibus istis allabitur. Ubi sanè particulæ, quæ disjunctæ videri non poterant, conjunctæ videntur, &c. Sed *Respondeo* : Hæc, & similia experimenta non ostendunt, dari atmos ; sed tantum corpuscula minutissima insensibilia, quæ nos ipsi ultro concedimus dari, sicut ex quæst. 6. patet.

C A-

C A P U T V.

De FORMA.

P R A E C E R T A.

1. *Forma est causa interna, per quam corpus naturale constituitur.*
2. *Estque nihil aliud, quam comprehensio Motus, vel Quietis, item Situs, Figuræ, & Magnitudinis partium.*

Q U A E S T I O N E S.

1. *Quid sit forma corporum?*

Reſp. Peripatetici hīc malunt subsistere
 Pin desperata illa responsione, NE-
 SCIO, quām in formæ naturam laboriosius
 inquirere. Scaliger confidenter exclamat.
Exercitatione 307. §. 21. Nego tibi ullam
 nobis notam esse formam plenè, & planè,
 nostramque scientiam esse umbram in So-
 le. Formarum enim cognitio est rudis, con-
 fusa, nec nisi per ~~ωλεσίας~~. Thomas quoque
Comment. ad 1. de Generat & Corrupt. t. 6.
 docet, formas substantiales esse incognitas
 nobis,

nobis, quia insensiles : ideo vult, eas per qualitates, quæ ipsi principia immediata transmutationis sunt, exprimi. Nos, sicut ex præcepto secundo perspicuum est, dicimus, formam corporis consistere in motu, quiete, situ, figura, & magnitudine partium. Quod probare melius non possumus, quam ostendendo, quomodo omnium corporum formæ ex hisce, jam enumeratis, motu scilicet, quiete, situ, figura, & magnitudine, evidenter, & clare explicari possint : quod quia, in speciali *Clavis nostræ* parte, à nobis præstabitur, Lectorem, veritatis cupidum, ad illam remissum volumus. Et quamvis hæc forma, materiae videatur esse accidentaria, corporibus tamen naturalibus est essentialis, cum hæc ab illâ constituantur, & per eam à se invicem discriminentur, quæ duo genuina, & maximè propria formæ essentialis indicia sunt : quod quo pacto fieri possit, manifestum est in horologio, in quo motus, figura situs, & magnitudo partium, materiae, id est, ligno, ac ferro horologii accidentaria sunt ; horologio vero essentialia : lignum enim, & ferrum : horologium autem sine iis horologium esse ne-

quit. Quod si cui hoc exemplum minus placet, eo quod ab artificialibus desumptum est, ei respondeo, parem naturalium, & artificialium, hoc quidem in negotio, rationem esse: nam figura oblonga, laevitas, & motus, materiae aquae accidentaria sunt, quia adesse, & abesse possunt absque materiae interitu: aquae tamen sunt essentialia, quia sine iis aqua, ne ad momentum quidem, esse potest. Irridet quidem hanc formae explicationem *Jacobus Revius disputat.* 15. *Suarerij Repurgati*, p. 207. eo quod concipere non potest, quomodo ex hisce principiis, vita brutorum possit promanare: *nam si ex mensura promanet*, inquit, *omnia, quæ ejusdem cum illis mensuræ essent, viverent*: *Si verò è quiete, terra etiam viveret*: *quod si è motu, viveret pila in aérem projecta, nec etiam ex positura, & figura*: *hoc enim modo viverent statuæ omnes*; Verum sine causa irridet hanc nostram formæ explicacionem: cum ipse satis bene noverit, nos non solum motum, & quietem, vel solum situm, figuram, aut mensuram, facere formam corporum; sed omnia hæc simul sumta, à nobis requiri ad veram corporum formam: *nam ad formam caloris constituendam, non so-*
lum

lum requiruntur variæ particulæ exiguae, earundemque varia configuratio; Verum etiam motus varius, vehemens, & insensibilis: Sola parvitas particularum, *Olei* formam non constituit; sed ramosas quoque eas esse oportet, ac variè agitari, & inter se repere: sic nec sola particularum aquæ parvitas, ejus formam potest constituere; sed necessè insuper est, ut adsit figura eorum oblonga, item tenuitas, flexibilitas, ac varia agitatio: ad formam frigoris non tantum requiritur certa partium figura, ac situs; sed & quies. Atq; ubi hæc adsunt, ibi vera istorum corporum forma adest. Quod idem etiam usu venit in artificialibus: non enim solum lignum, aut ferramenta, neque etiam eorum debita configuratio, & conveniens situs facit horologium; sed necesse quoq; est, ut adsit rotularum, aliorumq; instrumentorum motus debitus, & proportionatus: qui si abesset, horologium non magis esset horologium, quam calor esset calor, si ab eo motus abesset.

2. *An dentur Formæ substantiales?*

Reſp. Quia juxta leges veræ Logicæ, de nulla

nulla unquam re quæri debet, *AN SIT*, nisi prius, *QUID SIT*, intelligatur; ideo etiam quæstionem, *quid sit Forma*, præmittere volui quæstioni, *An sit forma*: ut mirer, qui *Peripatetici* docere queant, dari formas substantiales, cum tamen ipsi fateantur se nescire, quid formæ sint: nisi fortè dicere velint, ignorantiam ipforum, fuisse unicum argumentum demonstrativum existentiæ formarum substantialium. Sed absque ambagibus ostendam nunc omnibus veritatis amantibus, nullam dari formam substantialem (*anima rationali*, sive potius, *Mente humana*, semel, & semper excepta: eam enim substantiam esse, suadet ratio, & docet *S. Codex*) Non accersam nunc, ad revertendas formas, demonstrationem valdè nobilem, à fine, sive usu formarum substantialium, qui ab ipsis fingitur esse, ut per illas reddatur ratio actionum propriarum corporis naturalis, quarum hæ formæ statuuntur esse principium, & radix: cum tamen nullius actionis, sive operationis naturalis, clara, & sufficiens ratio per illas formas substantiales redi queat, si quidem earum assertores lubentes (*quod supra etiam à nobis animadversum, & annotatum*) fateantur,

tur, ipsas esse occultas, & incognitas. Neque illud etiam pro argumento sumam, quomodo sine formis substantialibus possimus omnia Naturæ Phænomena, & effecta explicare: quod certè validum est argumentum, non dari tales formas: Si enim darentur, esset impossibile, sine earum auxilio vel unum effectum naturale explicare; Sed ex ipsa substantiæ natura, argumentum petam insolubile. Sicut autem Argumentor. *Si darentur formæ substanciales, vel essent extensæ, vel intellectuales, sive cogitativæ substantiæ:* (Medium nullum datur, neque etiam excogitari potest: nam quamvis inter substantiam cogitantem, & extensem oppositio detur contraria, secundariò tamen, seu consequenter ad terminos contradictorios revocari potest, qui sunt, divisibile, & indivisibile, materiale, & immateriale; quia omne extensem dividuum, omne cogitans individuum: item, omne extensem materiale, & omne cogitans immateriale est.) *Sed neq; sunt extensæ, neque intellectuales, sive cogitativæ substantiæ.* Ergo non dantur Formæ substanciales. Minor probatur, & quidem primò quantum ad membrum prius. Si formæ essent substantiæ extensæ, tum (i.) non duo

duo principia substantialia intrinseca, ut Peripatetici volunt ; sed unum tantum datur, nempè, Extensio, sive Materia : nulla namque datur substantia extensa, quæ non simul quoque sit materia ; at quando de formis quæstio est, quæritur de principio substantiali, Extensioni, sive Materiæ contradistincto ; non verò de Extensione, sive Materiâ ipsa : hanc enim dari quis dubitaret ? (2.) essent divisibiles intrinsecè : nam ubicumque datur substantia extensa, ibi datur positio unius partis extra aliam, ubi verò hoc, ibi divisibilitas, quæ Extensionis indivisus est comes. At docent ipsi Peripatetici, formas esse indivisibiles, totasque esse in toto, & totas in qualibet corporis parte. (3.) nullas ederent actiones, vel operationes, quod est contra usum formarum : Substantia enim extensa, quia principium passivum est, torpidum planè, atque ignavum, quomodo actionis, sive operationis alicujus fons, & origo esse potest ? Quantum ad membrum posterius, quod formæ non sunt substantiæ intellectuales, sive cogitativæ, probatur illud (1) quia tunc inter hominem, & res alias corporeas nulla foret distinctio : quod absur-

absurdum (2) quia forent omnes formæ immortales , & incorruptibiles : cum tamen *Peripatetici* doceant , formas corrupti , sive , sicut ipsi explicant , abire in privationem . Et certè , si formæ omnes essent immortales , & incorruptibiles , vel nulla daretur generatio , & corruptio in corporibus , vel formæ illæ post earum à corporibus dissolutionem , extra corpus per se subsisterent , cuius utriusque absurditatem nemo non videt : licet posterius hoc statuat *Joh. Lippius in Metaphysica sua majori, lib. 2. c. 1.* Quod autem formæ istæ forent incorruptibiles , manifestum est . Si enim corrumperentur , proveniret illa corruptio , vel à Deo , vel ab alia forma , vel à propria ipsarum essentia , & naturâ , vel denique à Materia . Sed nihil ex his dicipotest . Nam corruptio illa non esset à Deo , quia hoc Dei sapientiæ , & constantiæ cum immutabili , & simplici ejus operatione conjunctæ repugnaret . Et quid quæso moveret Deum eam creare formam , quam ipse postea corrumpere , & destruere vellet ? nonne interitus talis substantiæ , vel constantiæ , vel sapientiæ defectum in Deo argueret ? Et cur magis corrumperet formam ,

quam

(quam nobilissimam esse substantiam stauunt Peripatetici) quam Materiam , quæ ipsis TURPE *Quid* est ? Neque etiam corruptio illa esset ab alia forma , tum quia talis forma corrumpens non datur , tum vel maximè , quia in potestate substantiæ finitæ non est , substantiam aliquam corrumpere , sive annihilare : cui namque creatio convenit , ei soli , & non aliïconvenit annihilatio . Deus omnem substantiam finitam , tam extensam , quam intellectualem , & cogitati-
vam ex nihilo creavit , ideo quoque omnem substantiam , per solam concursus sui generalis substractionem , in nihilum redigere solus potest : Sed neque illa corruptio esset à propria Formæ essentia , tum quia hoc esset supra vires omnis substantiæ finitæ , & creatæ , tum quoque quia hoc esset contra generalem illam Naturæ regulam , quod unaquæque res quantum in se est , tamdiu manet in statu suo naturali , donec indè deturbetur ab extrinseco . Hinc ipsi Peripateti-
ci docent , *Naturam sui esse conservatri-
cem* . Denique , neque illa corruptio esset à materia , 1. quia est principium passivum , 2. quia nullum extensum , & materiale de-
structivè agere potest in intellectuale , eo
quod

quod inter agens, & patiens aliqua debeat dari proportio, quæ h̄ic nulla est. 3. Quia illa corruptio esset supra vires materiæ, tanquam substantiæ finitæ. Stat igitur nostra assertio. Nullæ dantur Formæ substantiales : quæ erat demonstranda. Nunc examinare restat brevibus Peripateticorum (non Aristotelis, quia in nullis scriptis ipsius probatio formæ substantialis invenitur) pro formis substantialibus argumenta, quæ magno numero adducunt *Adamus Stuartus disput.* 1. *de Formis*, *Antonius Deusingius Theat. Nat. Universal. disp. 5. p. 85. Conimbricenses I. Physic. c. 9. q. 10. art. 2.* & *Kyperus lib. I. institut. Physic. p. 106.* Ne autem nimia prolixitate *Lectori* molesti simus, examinabimus solū hac vice , ea, quæ majoris sunt ponderis, & momenti. Argumentum 1. Omne compositum substantiale, requirit materiam, & formam substantialem, ex quibus componatur. Omne corpus naturale, est compositum substantiale. Ergo omne corpus naturale, requirit Materiam, & Formam substantialem. Respondeo, negando consequentiam 1. quia horologium, domus, aliaque artificialia, sunt composita substantialia, quæ tamen omni destituuntur

tur forma substantiali. 2. quia corpora possunt esse composita substantialiter, vel quia Materia, quæ sola in corporibus substantialia est, constant, vel quia in uno corpore composite multæ particulæ materiales concurrunt, quæ cum inter se, debito, & cujusque corporis naturæ conveniente modo uniuntur, compositum substantialie constituent. Quod si tamen pertinaciter urgeant, Omne compositum substantialie, necessariò requirere duo principia substantialia, Materia nempè, & Formam, negamus minorem, dicimusque, nullum dari corpus compositū substantialie, præter hominem, sive, quod perinde est, nullum corpus componi ex duabus substantiis; Sed omne corpus tantū esse compositum essentialie, quantum nimicum ex principiis essentialibus, Materia, & Motu, aut Quietè, item Figura, Situ, & Magnitudine, componitur. Nec est quod regerant, Motum, Quietem, Figuram, Situm, & Magnitudinem, non posse esse principium essentialie, eo quod non nisi accidentia, vel verius, modi sint: Quamvis enim respectu Materię sint accidentia, quia ab ea adesse, & abesse possunt absque ejus interitu, sunt tamen aliquid essentialie respectu

specie totius corporis, quia iis sublatis, corpus, puta, ignis, lapis, magnes, amplius corpus non est, perinde ac motus, figura, situs, & magnitudo partium, ligno, aut ferro Horologii accidentalia sunt ; horologio autem essentialia, cum in iis essentia Horologii consistat. Dicent forte, disparem esse rationem automatum, & corporum naturalium, eo quod hæc à principio intrinseco illa vero ab extrinseco moveantur. At nos inter ea nullū discrimen aliud agnoscimus, quam quod automatum, & artefactorum operationes, ut plurimum peragantur instrumentis adeò magnis, ut sensu facile percipi possint : hoc enim requiritur, ut ab hominibus fabricari queant : Contrà autem naturales effectus, ferè semper dependeant ab aliquibus organis tam minutis, ut omnem sensum effugiant. Neque corpora naturalia magis ab interno principio moventur, quam artefacta, cuius rei evidentissimum argumentum præbent stirpes, & animalia, quorum nulla vivunt, neque ulla actiones sine externo motore, ut Sole, Aëre, Alimento, similibusq; aliis, perficere possunt. Et cur motus, figura, situs, &c. horologio magis sunt extrinseca, quam lignum, vel ferramenta ho-

rologii ? num fortè , quia ab extrinseco a-
gente illa sunt? at sic & lignum, & ferramen-
ta ab artifice extrinsecè adducta sunt : sicut
igitur lignum, vel ferramenta dicuntur in-
trinsicum horologii principium, quia horo-
logium ex iis constat : ita & motus, horolo-
gio est principium intrinsicum formale ,
tum, quia motus ille rotularum , & aliorum
instrumentorum , non est extra horologij ;
sed intrinsicè in partibus horologii materi-
alibus, tum quoque , quia horologium per
eum, est horologium. *Argumen. 2.* *Sin nullæ*
darentur formæ substantiales, nullæ etiam
darentur definitiones substantiales. Sed ab-
surdum consequens : Ergò & Antecedens.
Respondeo 1. dato, non concesso, dari for-
mas substantiales, nondum tamen evictum
erit , dari definitiones substantiales ; sed
tantum definitiones Semi-substantiales ,
quia, juxta sententiam *Stuarti*, Formæ non
nisi semi-substantiæ sunt : Adde, quod om-
nes formæ , Peripateticis sunt incognitæ,
undè si vel maximè formæ darentur , nulla
tamen esset substancialis definitio, nisi illi ea
etiam definire possent , quæ ignorant. 2.
Consequentia apertè falsa est : nam licet
non darentur formæ , definitiones tamen
ad hoc

adhuc darentur substantiales : cum ipsa materia sit substantia completa , & perfecta, cuius dari posse , imò revera dari definitio- nem substantialem, quis negaret sanæ men- tis ? 3. Licet non darentur definitiones substantiales , sufficeret tamen dari essen- tiales, differentiâ essentiali constantes. *Ar- gumentum 3.* &, hac vice, ultimum. *Si non darentur formæ substantiales , omnia corpo- ra forent entia per accidens.* *Absurdum con- sequens, Ergo & Antecedens.* Respondeo negando consequentiam: quia Ens per Accidens est, quod constat ex iis, quæ non or- dinantur ad unum : at motus , figura , situs , unà cum materia ordinantur per se , & in- trinsecè ad unum corpus naturale consti- tuendum : Ergò, non faciunt ens per acci- dens, proindeque hic metus vanus est.

3. *An Aristoteles agnoverit formas sub- stantiales?*

Resp. Quæ Aristotelis de formis senten- tia sit, non ita clarè liquet : sæpiusculè qui- dem formæ mentionem facit in suis scri- ptis, eamque ἀντλέχειν vocat ; sed num eam

substantialem, ac materiæ contradistinctam statuat, non immerito dubitatur. Et enim lib. 7. *Metaph.* c. 3. Materiam solam, substantiam vocat, & lib. 8. *Metaph.* cap. 6. *in fine*, ultimam Materiam, & Formam idem esse docet εν τω φυσει. At των Ἀριστοτελι lib. 4. *Metaph.* cap. 9. est ενός της είναι, Unitas essentiæ &c. 2. *Physic.* cap. 1. dicitur forma, non separabilis existens, nisi secundum rationem, & cap. 3. sicut Simitas, quæ à naso afferri nequit, 2. *de Animali* cap. 1. non oportet querere, si unum est anima, & corpus, sicut NB. neque cera, & figura. Lib. 4. *Physic.* c. 2. formam vocat extremitatem rei (quæ nihil aliud est quam figura, quæ corporum est extremitas) quando inquit. *Quod si locus est id, quod primum continet quævis corpora, extremitas est, itaque videri potest, quod cujusque species, & forma sit locus, quo terminatur magnitudo, & materia magnitudinis : HÆC enim est CUJUSQUE EXTREMITAS.* Illa verò non de figura dici; sed de Forma, ostendit consimilis locus 3. *Physic.* 7. Namque infinitum itidem atque Materia, intus continetur, Forma autem continet. Lib. 1. *Phys.* c. 7. t. 96. formam corporum naturalium explicat

explicat per formam rerum artificialium
 ὡς γὰρ πέπον αὐτεραία χαλκὸς οὐ πέπον καλύπτει τὸν λόγον,
 οὐ πέπον τὸν αὐτοῦ τὸν εχόντων μορφήν. γάρ τοι γὰρ αὕτη
 (scilicet ὑλη) πέπον σώσαι εὔχεται, καὶ τὸν αὐτὸν, i.e.
 Ut enim ad statuam aës, ad lecticam lignum,
 vel ad aliquid aliorum, quae formas habent,
 ita ipsa (scil. Materia) ad essentiam se habet,
 & quod est hoc quippiam, & hoc ens. Hinc
 etiam 8 *Physic. c. 2.* negat, animal internum
 motus principium habere. Verba ejus hæc
 sunt. *Animal prius quiescens, postea move-*
tur, ac ambulat, nullo ut videtur eorum, quæ
extra sunt, movente. Hoc autem. NB. falsum
est. Cernimus enim semper aliquid eorum,
quæ innata sunt animali, moveri: hujus au-
tem motus, non ipsum animal. NB. causa est;
sed id forte, quod ambit.. Quid hoc aliud
 esse videtur, quam Animali formam denc-
 gare, & naturalia in artificialium classem re-
 jicere? Ego certè ex comparationibus, & si-
 militudinibus, quibus Aristoteles utitur ad
 demonstrandam, vel formæ essentiam, vel
 ortum, & productionem, nihil aliud colli-
 gere possum, quam, formam non substan-
 tiā, sed accidens esse. Fateor tamen in
 aliis quibusdam locis, videri Aristote-
 lem velle, contra Veteres, astruere for-

mam aliquam substantialem, quando, tum
alibi, tum imprimis lib. 1. de *Anima*. cap. 4.
ita loquitur. Est autem & alia quædam opi-
nio de anima tradita, probabilis quidem
compluribus, & nulla eorum inferior, quæ
de ipsa dicuntur: reprobata tamen & his ra-
tionibus, quæ in communibus sermonibus
fiunt; Harmoniam namque temperatio-
nem esse, compositionemque contrario-
rum dicunt, & corpus ex contrariis compo-
situm esse. Hinc quoque, lib. 2. de *anima*,
cap. 1. & lib. 7. *Metaph.* cap. 3. in divisione
substantiæ, formæ locum dat. Verum ac-
curatius hæc alii expendere possunt. Vide-
rint interim rigidi isti Peripatetici, quid
imposterum de suo Patrono sentire velint,
mature deliberent, num is, qui tam dubiè,
tam ambiguè, de rebus sentit, & scribit, pro
Norma, ac regula veritatis possit haberi, ac
æstimari?

4. Quæ formarum vera sit origo?

Resp. Quia forma, motum, vel quietem, item situm, figuram, & magnitudinem complectitur, ideo ortus formæ, partim creationi, partim motui, à Deo creato, adscri-
ben-

bendus est. Quod enim materia, sive indefinita illa Extensionis Moles in initio, in minutissimas particulas divisa, atque secundum eas variè mota fuit, hoc soli Deo tribui debet: quod autem illæ particulæ certam figuram, situm, & magnitudinē acquisiverint, hoc à Motu est, Deo tamen non otiosè cessante, sed omnia sapientissimè dirigente, ac disponente. Et quia materia intrinsecè, licet passivè, harum affectionum, figuræ, situs, ac certæ, determinatæq; magnitudinis capax est, hinc non malè ea è potentia materiæ educi dici possunt, quatenus nimirum, interveniente motu, materiæ alicui accidunt: sunt enim tantùm varii materiæ modi: Cum verò motus semel à Deo creatus, in eadem, qua ab initio creatus fuit, quantitate permanserit: neque ullus novus motus nunc creetur, sicut sequenti capite ostendemus, ideo nunc quoque omnes omnium corporum formæ, quæ quotidiè fiunt, è potentia Materiæ, beneficio, & virtute motus, educuntur, non aliter, ac motu interveniente, è potentia materiæ ligni, educitur forma, sive figura aliqua statuæ: quando autem dico omnes formas nunc quoque educi è potentia materiæ,

non hoc intellectū volo de motu, qui quoque, vel maximè, ad formam corporis naturalis requiritur (is enim è potentia materiæ nullo modo educi potest; sed materiæ advenit per communicationem, & propagationem) Sed de figura, situ, magnitudine, imò & omni eo, quod prēter motum, non tamen sine motu, materiæ advenit: ita ut motus & sit causa efficiens eorum omnium, quatenus ea è potentia Materiæ educit: & simul quoque causa formalis corporis, quatenus una cum figura, & magnitudine, completam, & totalem corporis formam facit.

5. An Peripatetici, salvis suis Hypothesibus, educationem formarum statuere possint?

Resp. Negando: cum enim illi doceant, formam esse substantiam, ipsi Materiæ contradictam, quomodo, hac salva hypothesi, dicere possunt, eam ex potentia Materiæ educi? nisi illam potentiam ita velint explicare, quod materia sit subjectum idoneum, & capax, ad formam aliquam recipiendam; Verum illud tunc non tam esset educi,

eduici, quam induci in Materiam. Et quæ, quæso, ejus formæ vel inducendæ, vel educendæ, esset causa efficiens? Non enim, credo, dicent, sine causa efficiéte formas induci, vel educi posse è potentia Materiæ. Hinc ipsi *Peripatetici* in explicanda ista educatione, mirè, & miserè, se torquent. *Pererius lib. 5. cap. 22.* explicat educationem illam per quinque proprietates, quas dicit convenire omnibus formis è potentia Materiæeductis. Educi, *inquit*, è potentia Materiæ est 1. produci ab agentibus naturalibus, per actiones, & dispositiones materiales 2. pendere à Materiâ in fieri. 3. pendere à materiâ in esse. 4. pendere à materia in operationibus. 5. pendere à materiâ quidditativè, ita nimirum, ut sine eâ, nec definiri, nec intelligi possint. *Gisbertus ab Isendoorn, tractat. 1. Physicæ generalis cap. 3. quæst. 13. Physiolog. Paripatet.* tribus responsionibus explicat educationem formæ è Materiâ. *Quid est educi è potentia Materiæ?* *Resp. 1.* nihil hoc esse aliud, quam formam pendere à Materiâ, tum ut fiat, tum ut conservetur, seu, quod idem est, formam ita pendere à materia, tanquam à subiecto, ut sine eâ natura-
liter, nec fieri, neq; conservari possit. *Resp. 2.* ut

ut forma dicatur educi è potentia materiæ,
satis non esse, si materia potentiam habeat ad
formam recipiendam, vel etiam ad formam
disposita sit, vel denique illam actu recipiat:
alioquin anima rationalis dicetur educi, cum
respectu illius, omnia hæc reperiantur in
Materiâ, cui unita est. Resp. Ergo 3 re-
quiri insuper, ut Materiam causèt for-
mam, non quidem efficiendo, quia hoc gene-
rationis, & efficientis cause proprium est;
sed suo modo, id est, passive & subjective con-
currendo, ita ut forma sine ea nec produci
possit, nec conservari. Summa huc videtur
redire. Formas educi è potentia Materiæ,
nihil aliud esse, quā eas actu incipere in sub-
jecto potentiam naturalem ad illas habente,
& extra materiam nec fieri, nec esse, nec o-
perari. Sed quomodocumque se, senten-
tiamq; suam explicitent, propriæ tamen ipso-
rum Hypotheses, explicationi isti contra-
dicunt, eamque evertunt. Hypothesis ipsorum
est, formam esse substantiam immate-
rialem (nam quod nonnulli dicant, formas
omnes esse materiales, id non intelligunt ra-
tione essentiæ; sed ratione productionis, &
dependentia, quod nimis non nisi in ma-
teria producantur, extraque eam ne ad mo-
men-

mentum, subsistant.) Hypothesis ipsorum est, nullā fieri actionem, sine causa efficiente: Hypothesis ipsorum est, Materiam esse subiectum purè passivum, &, secundū non-nulos, puram potentiam, sive NON ENS. Hypothesis ipsorum est, accidētia non posse principaliter producere substantiam. At quid magis educationi adversatur, quam hæ hypotheses: Si enim forma est substantia immaterialis, quomodo in esse, & fieri dependebit à Materia? num nobilior, & perfectior illa substantia (liceat nunc mihi secundum ipsorum hypotheses loqui) ab ignavo, & ignobili subiecto (quod vix, secundum illos, nomen Entis meretur) dependebit? Si actio non est sine causa efficiente, quomodo illa formarum educatio consistere poterit? cum nulla ejus causa efficiens ostensa unquam fuerit. Si Materia principium purè passivum est, quid illa ad formæ educationem facere poterit? profectò nihil magis, quam ad animæ rationalis, vel potius, Mentis humanæ productionem, cum utraque sit (ex Hypothesi) substantia immaterialis, & spiritualis, tota essentiā à materia distincta. Si denique accidentia, nullam possint producere substantiam, quomodo

modo vel potentia materiae, (quæ accidens est, & quidem, secundū ipsorum Logicam, secunda Qualitatis species) vel calor, ad quem plerique configuiunt, formam, immaterialē illam, si diis placet, substantiam producere, vel ē sinu, & gremio materiae, extundere (sicut aliqui eorum loqui amant) poterunt?

C A P U T V I.

De Motu, & Quietē.

P R A C E P T A.

1. *Motus est translatio unius corporis, ex vicinia eorum corporum, quæ illud immediate contingunt, in viciniam aliorum.*
2. *Estque vel rectus, vel circularis, vel mixtus.*
3. *Motus rectus, est translatio, quæ fit per lineam rectam.*
4. *Motus circularis, est translatio, quæ fit circa centrum, & axem.*
5. *Motus mixtus est, qui vel ex circuli, & recto, vel ex duobus rectis simul, vel ex aliis innumeris diversis constat.*
6. *De-*

6. Determinatio motus est, qua mobile versus certum terminum dirigitur.
7. Communicatio, vel propagatio motus, est actio, qua motus ex una parte materiæ in aliam, vel quiescentem, vel tardius, aut aliter motam, transfertur.
8. Quies, est absentia motus.

Q U E S T I O N E S.

1. An prætermotum localem, aliud detur Motus?

Resp **P**eripatetici communiter sex motus species constituere solent, Augmentationem, Diminutionem, Alterationem, Lationem, sive motum localem, Generationem, & Corruptionem. *Baco de Verulam* (qui, judice autore *Epistolæ ad R. Cartesium*, *Passionibus R. C. prefixæ*, omnium, qui ante *Cartesium* scripserunt, primus fuit, qui habuit optimas cogitationes, quoad Methodum adhibendam ad colophonem perfectionis Physicæ imponendum) numerum motus valdè auget, quando in suo tractatu de Motu, & lib. 3 de Augmento Scientiarum pag. 248. Motum divi-

dividit in simplicem, & compositum: Illius species enumerans 15. nempe *Motum Antitypiæ Materiæ*, quem vulgò motum, ne fiat penetratio dimensionum, vocant. *Motum nexus*, quem motum ex fuga vacui appellant. *Motum libertatis*, sive compressionis ne detur compressio, aut extensio præternaturalis. *Motum* in sphæram novam, sive ad rarefactionem, ac condensationem. *Motum nexus secundi*, sive ne detur solutio continuitatis. *Motum congregationis majoris*, sive ad massas connaturalium suorum, qui vulgò dicitur motus naturalis. *Motum congregationis minoris*, qui vulgo dicitur sympathiæ, & antipathiæ. *Motum disponentem*, sive, ut partes bene collocentur in toto. *Motum assimilationis*, sive multiplicationis naturæ super aliud. *Motum excitationis*, ubi agés nobilius, motum in alio latentē, & sopitum in eo excitat. *Motum Sigilli*, sive impressionis, quæ scil. operatio est, absque communicatione, qui non incommodè dici poterit motus virtuialis. *Motum Regium*, sive cohibitionem reliquorum motuum à motu prædominante. *Motum absque termino*. *Motum trepidationis*, sive Systoles, & Diastroles, Corporum

rum scil. quæ locantur inter commoda, & incommoda. *Motum* denique decubitus, sive Exhorrentiam motus. Hujus verò species enumerans novem, nimirum, *Generationem*, *Corruptionem*, *Augmentationem*, *Diminutionem*, *Alterationem Lationem*, *Mixtionem*, *Separationem*, & *Versionem*: quos motus oriri putat ex simplicibus complicatis, continuatis, alternatis, frænatis, repetitis, & multis modis aggregatis. Verum omnes illi *Philosophi*, qui alios quodam motus, à locali diversos, effinxerunt, naturam ejus sibi minus intelligibilem reddiderunt. Et, cum præter motum localem, nullus aliis motus sub cogitationem nostram cadat, ob id etiam nullum alium in rerum natura fingendum esse, judicamus: Quantum enim percipimus de re aliqua, tantum judicamus de ea: neque plus judicamus, quam percepimus: *Quod si Peripatetici*, & *Baco* præter motum localem, in supra recensitis motibus, alios ab eo diversos percipient, aut percepient, id clarè, & distinctè nobis explicent, atque tunc assentientes nos facile habebunt. Sed illud in scriptis hactenus neque præstiterunt, neque etiam, quod

confidenter asseveramus , etiamnum præstare possunt : cum (ut de 15 speciebus motus simplicis à *Bacone* recensitis , jam nihil dicam : constat enim earum aliquas non dari, ut est motus Antitypiæ, motus nexus, sive ex fuga vacui, & Motus Sympathiæ, & Antypathiæ : aliquas planè spurias, & falsas esse, qualis imprimis est, motus Sigilli : non nullas denique, non nisi varios motus locales esse) *Generatio, Corruptio, Augmentatio, Diminutio, & Alteratio*, non diversi motus, specificè à se invicem distincti ; sed tantum variæ, ac diversæ motus localis determinationes, & modi sint. In generazione enim , & corruptione partes materiæ, tum sensiles, tum insensiles, variè localiter moventur, atque per motum localem, vel, secundum situm, figuram , quantitatem , motum, & quietem, convenienter rerum constitutioni, ac compositioni disponuntur, quæ conveniens dispositio, nihil aliud quam corporum generatio est : vel etiam ita à se invicem separantur , ut prioris convenientis dispositionis destructio indè sequatur : quæ destructio nihil aliud, quam corporum corruptio est. In Augmentatione etiam, & diminutione partes, vel separata,

tæ, localiter corpori adjunguntur, vel conjunctæ, localiter à corpore separantur: illud augmentatio, hoc diminutio appellatur: In alteratione denique, ut in calefactione, vel frigefactione, particulæ alicujus corporis insensiles, vel vehementius inter se, ac variè agitantur, vel debilius agitantur, ac interdū quiescunt. Nec est, quod novitatis hanc nostram sententiam arguant Adversarii: non enim placere nobis debet antiqua, quia antiqua nec disPLICERE nova, quia nova: cum quæ nunc antiqua sunt, aliquando nova fuerint, & quæ nunc nova sunt, aliquandò futura sint antiqua; sed quia falsa, aut vera esse deprehenduntur. Quid, quod ipsi Veteres, ante *Aristotelem*, præter motum localem, nullum quoque alium agnoverint, quando docuerunt, Generationem, Corruptionem, Augmentationem, Diminutionem, & Alterationem varios tantum esse motus locales, qui ad ipsa effecta producenda cum insensibilibus materiæ particulis concurrunt. Hanc autem Veterum mentem esse, præter alios, testatur quoque Veterum fidelissimus interpres *Claudius Bergardus*: ita enim ille *sub persona Aristæi*, circulo xi. de speciebus, unitate, & oppo-


sitione Motus p. m. 69. Unus est, ut sæpè dixi, motus ad locum in universo, qui tamen servando communem loquendi modum, revo- cari potest ad eas species, quas Aristoteles refert; sed ratione longè diversâ. Nam apud Veteres, generatio est motus, quo plures substancialiæ essentiales alicui mixto concurrunt ad illud constituendum. Corruptio verò, quo à se invicem dissolvuntur. Accretio est motus, quo pluribus partibus, quam fuerint deperditæ, accedentibus, mixtum fit majus quo quoversum, servata semper eadem figura: ex quo patet, quid sit decrementum. Alteratio est motus contingentis substancialiæ advenientis alicui, vel ab eo recedentis, unde quale denominatur. Qui verò simpliciter dicitur motus ad locum, est continua corporis ad corpus applicatio. Ex quibus palam est, ad quæ prædicamēta, & quomodo detur motus, quæ sint ejus species, oppositio, & unitas individua. Hoc unum vobis dolendum venit, quod si ea doctrina Veterum admitteretur, frustra caderent tot vestræ captiunculæ, de materia prima, forma, de specie motuum, tot interpretum demortuæ commentationes intercederent, paucisque verbis totam Philosophiam complectere mur, quod maximè of- fende-

fenderet eam gentem contentiosam, quam patritius quidam Venetus medium quodammodo inter homines & bestias esse dicebat, quæque *Philosophiam* verè *clitellariam* nobis invexit. *Hæc Berigardus.* Imo nostra sententia quia vera est, necessariò debet esse antiquissima, etsi nobis non constaret, eam aliquem ante nos amplexum fuisse: & Peripateticorum sententia, quia falsa est, non potest non esse nova: nihil namque *Veritate* antiquius, nihil verò magis novum, quam mendaciū, & falsitas. Huc facit, quod ante Aristotelem nemo, quod ego quidem sciam, sententiam *Aristotelis*, ejusque sequacium, vel tenuerit, vel scriptis preponaverit. Prolem igitur hanc, & factum primus enixus est *Aristoteles*.

2. *Quæ verasit Motus natura?*

Resp. In primo præcepto diximus, motum esse translationem unius corporis ex viciniâ eorum corporum, quæ illud imme-
diatè contingunt, in viciniam aliorū: quæ
verba si benè intelligantur, facile cognosci
potest vera Motus natura: ad solutionem
igitur quæstionis, ea paucis explicabo. *Ma-*
tus


tus dicitur translatio, quia non est in movente ; sed in mobili, sive in eo, quod movetur : per *unum corpus*, intelligitur id omne, quod simul transfertur, sive quod secundum extimā suam superficiem, à corporibus aliis immediatè contiguis, separatur : licet rursus hoc ipsum constare possit ex multis partibus, quæ alios in se habeant motus, sicut patet in flumine, quod, præter motum, quo tendit versus mare, non solum ratione partium suarum multos innumeros alios motus habet ; sed etiam totum simul ab Occidente in Orientem, ut & circum Sollem una cum Terra movetur. Quod autem additur, translationē fieri *ex vicinia corporum contiguorum in viciniam aliorum*, id factum est, ad omnem ambiguitatem, quæ alias occurrere potuissest, si dixissimus, *ex uno loco in alium*, evitandam : Loci enim acceptio varia est, & notat vel spatium, vel superficiem ambientis, vel situm, potestque situs ille innumeris modis determinari à diversis corporibus, quæ respicimus, ut ita locus à nostra cogitatione ferè pendeat : Sic igitur corpus. A. dicitur moveri, quatenus ex vicinia corporis, B. transfertur in viciniam corporis. C.




3. *An divisio motus, in rectum, circularēm, & mixtūm, sit bona?*

Resp. Bonitas hujus divisionis melius probari non potest, quam *tum* dicendo, omnem motum, qui in Universo reperitur, ad unum necessariò ex his reduci, ita ut quartus motus, à recto, circulari, & mixto diversus, neccari, nec ostendi possit: nam quod *Cl. Sperlingius, lib 2. institut. Phys. c. 7. p. 407.* accdat his motibus, motum naturalem, & violentum, id non auget numerum motus, à nobis propositum: cum motus naturalis, & violentus semper sit vel retus, vel circularis, vel mixtus: Huc facit quoque, quod nullus talis detur motus naturalis, qualem definit ille, & cum eo omnes Peripatetici: nullus enim motus à causa internā oritur; sed omnis est ab impulsu extrinseco: Potest tamen omnis motus vari naturalis, quatenus omnis motus fit secundum Natura leges, neque ullus contra illas fieri potest: *tum* etiam hos motus exemplis explicando, & confirmando. Datur

autem *motus rectus*. v. g. in corpore. A. vel B. quando ex. B. vel A. per lineam rectam. A. C. vel B. C. movetur in. C.



Motus verò circularis datur tum in Sphæra terræ nostræ. A. quatenus singulis diebus circa axem, sive lineam illam rectam, quæ per ejus centrum duicitur, & utrimque ejus superficie terminatur volvitur. *Tum etiam in Luna. D.* quatenus in




materia iui vorticis defertur circa centrum, sive terram E. Exempla *motus mixti*, qui ex circulari, & recto componit, duo insignia, partim ex Cartesio, partim ex

ex *Lobkowitz* exhibet. *D. Lipstorpius par. 2. de regulis motus*, p. 30. *Primum Exemplum.* Ex circulari, & recto, *inquit*, componitur motus nodi in rota, circa currus axem, qui est circularis, & secundum longitudinem viæ, per quam fertur, quæ est recta. Sit enim via rectilinea A. E, super qua circumvolvatur rota, sive circulus. A. B. C. D. donec punctum circumferentiae infimum, tangens viam rectam. A. E. in A, eidem rursus occurrat in. E., describet punctum A. hoc motu lineam curvam A. F. E. Atque de hac linea notamus eam duobus motibus describi, inter se distinctis, recto nempe, quo circulus. A. B. C. D. defertur ab. A. ad E. & circulari, quo punctum in ejus circumferentia rotatur circa centrum, dum movetur, per lineam rectam. A. E. æqualem, & parallelam. *Secundum exemplum* motus mixti ex recto, & circulari, est ejus, qui scribit in navi literas rotundas : hic enim non format stylo literas ; sed lineam quasi rectam, quia & navis ipsa, & charta vacillat, & tanto magis rectæ lineæ similem, quo literæ minores sunt linea illa, quam stylus in spatio illo describit. Ostendit hoc *Caranuel Lobkowitz*, part. 2. *Matheos auda-*

cis p. 25. & 26. quando talem casum format. *Solvimus Hispali, & inde ad Americam usque proveheris scribens.* Acumine tui styli fecisti unam lineam quasi rectam, quæ ex Hispania ad Americam pretendetur. Hoc ut melius intelligas, supponamus tempore, quo unum O formas, navim ad longitudinem lineæ A. B. progredi: Ergò majoris claritatis gratiâ in formatione illius adhuc quatuor tempora secundum quatuor quadrantes literæ, incipiendo à capite, subdividamus, & eam in quinqus locis nempe. A. B. C. D. E.) consideremus, ut in figura exprimitur. Cæterum Stylus dum videretur formare unum circulum, format lineam illam, punctis minutissimis ab A. in B. His exemplis fortè addi potest tertium exemplum motus circularis (ita ut omnis motus circularis, sit mixtus; sed non omnis mixtus, sit circularis: cum etiam ex duobus reætis, & innumeris aliis diversis motibus, mixtus constare possit) cum enim circuli partes minimæ, lineolæ rectæ sint, necesse est etiam est, ut corpus, quod motu circulare movetur, etiam simul motu recto moveatur ratione rectarum istarum lineolarum, ex quibus circulus omnis constat.

Exem-

Exemplum motus mixti ex duobus rectis simul, habemus in globo. A. qui dum ex tormento bellico, sive bombarda. B. sursum aliquantulum elevata, exploditur, movetur motu recto, tum ascensorio ex E. in C. tum descensorio ex C. in D.



Exemplum denique motus mixti ex aliis innumeris diversis, habemus in omnibus corporibus fluidis: item in horologio, quod ambulans in navi in pera gestat: cuius rotulae motu non tantum sibi proprio moveruntur; sed etiam diversis aliis motibus, nempe hominis ambulantis, navigii in mari fluctuantis, ipsius maris, & denique ipsius terrae, quos participant: qui omnes motus revera sunt in rotulis istis, quamvis non facile


lè ita multos simul intelligi, nec etiam omnes agnoscipossint.

4. *An in omni motu detur Circulus?*

Reſp. Cum, ut supra fuit animadversum, Materia nihil præter extensionem indefinitam sit, eaque proptereà omnia spatia imaginabilia impleat: neque etiam dari possit dimensionum penetratio, sequitur necessariò, nullum corpus moveri posse, nisi per circulum: ita nimirum, ut aliud aliquod corpus ex eo loco, quem ingreditur, expellat, hocque rursus aliud, & aliud usque ad ultimum, quod in locum à primo derelictum eodem temporis puncto, & momento, quo derelictus est, ingrediatur, ita ut circuitus quidam fiat ex omni materia simul mota, ob motum corporis primi. Ut mirer, quod *M. Watsonius, disput. 5. §. 6.* hunc circulum neget. *Nullus*, inquit, *in motu datur circulus, quia res successivè moventur, ut una cedat alteri.* At, unde hoc habent corpora, quod sibi invicem cedant? non certè aliundè, quam quia in motu corporum fit circulus, quo impedito, corpus corpori non cedit; sed potius resistit, sicut hoc mox variis

riis egregiis exemplis demonstrabimus. Quando autem circulum omni motui adscribimus, non tantum intelligimus præcisè, circulum perfectè rotundū, vel mathematicum, qualis datur in motu globulorum A. B. C. D. E. F. G. H.


I. K. L. motarum in tubo circulari, ligneo vel vitreo. Sed quævis alium etiam, modo globulus, vel corpus quodcunque aliud primò motum, ita propellat vicinum, & sic porrò, ut corpus ultimò motum succedat, & transeat in locum corporis primò moti, sicut hoc patet in circulo B.



Talem autem circulum in omni motu, revera dari, innumerā ostendunt exempla, ut dicere, & asseverare ausim, eos, qui hunc circulum, vel non animadvertisunt, aut considerant, vel etiam negant, nihil præclarū in Physicis posse explicare. Certum vasculi genus est, ante aliquot annos ex India huc allatum, quod non fluit, donec aqua, vel vi-
no repleatur, & cum fluere incipit, non de-
sinit, quo usque tota aqua, vel vinum exha-
stum


stum sit. Quomodo verò admirandum hunc explicabit effectum is, qui circulum in omni motu, vel ignorat, vel protervè negat? Nimirum, quia aqua, vel vinum ad tangentem curvitatis B. ascendit, ideo debet inferiores suas particulas ad effluxum compellere, juxta vulgatam *Mechanicorum regulam*, quod aqua tam altè ascendat, quam fit ejus lapsus, & origo, quæ cum hic accurate sibi mutuo respondeant, necessario principium fluxus sequi oportet: attamen quia brachium D. longius versus terram protensum est, quam alterum brachium C. ideo plus aquæ in eo continetur: quæ quia ponderosior est aquâ, contenta in brachio C. ideo necessariò suâ præponderante gravitate, è brachio suo D. majori vi erumpit, aëremque E. E. E. E. E. propellit, qui aër propulsus, & de loco suo deturbatus, premit aquæ in vasculo contentæ superficiem F. illamque aquam per brachium C. attollit in eum locum, quem aqua ex brachio D. decidens, reliquit, quod per continuam horum corporum circulationem tamdiu durat, donec totum vasculum fuit exinanitum: quod si orificium inferius brachii D. digito obtures, efficies quidem,

dem, nè ulterius fluat, quia circulus impeditus est; sed tamē quia aqua adhuc est in brachio D. quæ ob suam gravitatem deorsum conatur labi, hinc, simul ac removetur digitus, iterum effluit, & circulum illum continuare pergit. Nonnulli ex meis *Auditoribus*, quibus in collegio Physico circulum in motu, per hoc exemplum demonstrabam, cum aqua accepisset principium fluxus, infuderunt in vasculum, aliquid argenti vivi, experiri volentes, num vel aqua in fluxu suo continuaret, vel argentum vivum simul cum aqua efflueret: Sed negotium non successit: nam simul ac argentum vivum infusum erat, mox fluxus aquæ impiedebatur: nec mirum, cum argentū vivum inferius orificium brachii C. occupans, ob summā suam densitatem impediret, ne aqua in illud orificium per circulum ingrederetur.




Eadem est ratio, quare canalis C. D. E. per latus amphoræ A. immissus, si semel perficitio-

suctionem, initium fluxus accepit, nunquam cesset, aquam, amphoram implentem, evacuare per orificium E, quousque aqua cederit ad extremitatem F. Similem in



motu circulum licet experiri in aëre, & fumo, quoties magnus ignis in Musæo aliquo excitatur. Si enim cubiculum ita sit clausum, ut præter tubum camini, per quem fumus exit, unum tantum aliquod foramen sit apertum, sentietur continuò magnus ventus, per hoc foramen, ad focum tendens, in


locum fumi abeuntis :
Talis quoque circulus observatur in motu spirituum in corpore limacis A.C.B. Vitro D. conspicuorum : simul ac namque limax proreperi incipit, mox spiritus alii



alii atque alii (quos, *Thomas Bartholinus libello 3. de Nervis. c. I. p. 253. Anatomiae Reformatæ*, sanguinis vice , in limace , quo alioquin caret , esse arbitratur) cum bullis conspicuis à cauda. A. per ventrem. C. ad caput B. continuò propelluntur , indē iterum per tergum redeunt ad caudam.

Quod si vero contingat , ut circulus impediatur , motus nullus fit : ita ex vase , vino , cerevisia , aut alio liquore , pleno , & undique probe obturato , licet foramen laterale apertum sit , nihil tamen liquoris effluit : eo , quod circulus corporum impeditur : aér enim foris existens , & de loco suo à liquore deturbandus , ob vas undique obturatum , in locum liquoris ex vase per foramen laterale egressuri , intrare nequit : ita etiam , si sit vas vel olla aliqua . C. in cuius summitate . A. exiguum foramen est : in fundo vero ejus , B. multa per exigua foramina , sitque vas illud aquâ repletum , si superius foramen digito obturaveris , ne guttula quidem per fo-

I



ramina .

ramina, effluet, ob eandem nimirum rationem, quia aér, qui per foramen superius A. ingredi deberet, ob obturatum foramen, supplere non potest locum aquæ exeuntis per foramina inferiora: quod si autem à foramine A. digitum removeris, insignis aquæ copia fluet.

Pari modo, si ampullæ A. orificium in aquam vasculi rectâ compresseris, nulla tamen aquæ guttula, in illud intrare poterit.



Unde hoc? Nonne ob id, quod circulus corporum impediatur? aér namque totam illam ampullam implet, & impedit ingressum aquæ, quia non reperit, quo effugiat: quod si verò in vertice ejus, foramen exiguum feceris, mox aér recedens,


aquæ ingressum per vasum osculum concedet.

Ita eâdem planè de causâ, si quis dolium inane aperto ejus orificio, recta, in aquam C. deprimat, licet orificium ejus sit apertum, atque aquæ superficiem, ejusque particulas ita diducat, ut supra vas assurgat,

gat, illudque cooperiat
nulla tamen gutta aquæ in
vas se insinuabit: extracto
enim recta dolio, eoque
converso, apparebit inte-
rior ejus superficies, sicut
erat, antequam in aquam demergetur.



Idem experiri quoque licet in catino lig-
neo, vacuo, verso, & ad superficiem aquæ æ-
qualiter apposito, & postea sub aquam de-
merso. *Coronidis loco* observandū est, quod
circulus corporū duobus modis contingat,
vel sine, vel cum condensatione, seu expre-
sione materiæ intermediæ. *Illijs exemplum*
non modo habemus in circulo perfecto, de
quo pag. 125. quatenus supponitur, globum
A. ita moveri versus B. ut eodem tempore
globus C. movea-
tur versus D. ac D.
versus E. & E. ver-
sus F. & F. versus G.
& G. versus H. & H.
versus I. & I. versus
K. & K. versus L.
& L. versus A. sed
etiam in circulo non perfecto, & quantūli-
bet irregulari, modò advertatur, quo pacto



omnes locorum inæqualitates inæquali motuum celeritate possint compensari: sic, materia illa quæ continetur in spatio E. F. G. H. circulariter moveri potest absque condensatione, & eodem tempore ejus pars, quæ est versus E. transire versus G. ac ea, quæ est versus G. transire versus E. modò tantum, ut spatium G. supponitur esse quadruplò latius, quam in E. ac duplo, quam in F. & H. ita etiam quadruplò celerius moveatur in E. quam in G. ac duplo celerius, quam in F. vel H. atque ita reliquis omnibus in locis motus celeritas angustiam loci compenset (qualis compensationis exemplum etiam habemus in cataractis, per quas ob angustum, aqua movetur celerius, nec non arteriis, in quibus celerius ob angustiam movetur sanguis animalium, quam in venis, in quibus ob loci amplitudinem, sanguis tardius movetur.) Hoc enim pacto in quovis determinato tempore, tandem materialia per unam istius circuli partem, quam per alteram transfibit.

Hujus exemplum habemus in circulo. Z. globulis A. B. C. D. E. F. G. H. I. K. L. M. N. pleno: nam hi globuli per circulum non possunt moveri, nisi eo tempore quo. E. mo-

moveri incipit, globulus qui inter E & G. est, exprimatur, atque ita aliqua fiat condensatio.

Atque hinc jam redditur ratio, quare lapis ab orbiculo coriaceo, cui saliva fuit agglutinatus, ab eo interdum decidat: fit enim illud ideo, quia lapis ob magnum suum pondus tam ponderofus est, ut aëris subjecti expansas, & ab interfluente materiâ cœlesti extensas particulas adeo possit comprimere, ac condensare, ut materiâ cœlestis ex illo expressa, inter lapidem, & corium sese primò insinuare, & deindè aliis aëris particulis, locum ad interfluendum, dum lapis ex corio decidit, præbere queat.



5. *Quæ vera Motus causa primaria, & unica sit?*

Resp. Cum Materia non nisi iners quædam, & corporea extensionis indefinitæ moles sit, perspicuum satis est, imprimis Mentiâ præjudiciis vacuæ, nullam in ea ad sese movendum sufficientem, virtutem esse posse. Et licet ea, eo ipso, quia extensa est, variè quoque sit divisibilis, ac mobilis se-

cundum partes : partium tamen earum , in
quas dividi potest, realis à se invicem sepa-
ratio, atque ex loco uno in alium translatio,
quæ Motus dicitur, non fluit ab eis intrin-
seca natura, aut essentia : sic enim non solum
necessariò omnes Materiæ partes move-
rentur; sed etiam, ipsa materia esset substanc-
tia intellectualis : quod absurdum: Et, non-
ne observamus fæpè particulas materiæ
nonnullas moveri, nonnullas quoque qui-
escere, quietemque cum motu inter se
nonnunquam commutare ? *Quæ igitur est
primaria, & unica Motus causa?* An fortè
forma aliqua substantialis ? ita quidem ex-
istimant *Peripatetici*, quando docent, Om-
nem motum esse à forma, solumque eam ,
principium intrinsecum omnis motus natu-
ralis esse : Sed, præterquam quod nulla de-
tur talis forma, qualem illi afferunt , ma-
terialium , & corporearum quoque re-
rum naturam , confundunt cum natura re-
rum intellectualium , sive cogitantium :
Harum enim privilegium est , inter-
num actionum , & operationum habere
principium : hæ non vi extrinseca , & vio-
lenta ; sed benificio simplicissimæ sue es-
sentiae intelligunt, judicant, appetunt, aver-
fan-

santur, ac rerum etiam corporearum, & materialium motus interdum gubernant pro arbitrio, & nutu voluntatis suæ. At quis nostrum observavit unquam, corpora, ut lapides, ligna, ferra metalla, plantas, aliaque, ita internam motuum suorum causam habere! Quid, quod boni Viri, qui tueri se alias autoritate sui præceptoris, *Aristotelis*, solent, ipsum sibi hîc valdè adversum habent: cum ipsi vulgare sit hoc Axioma. *Nulum corpus moveretur à se ipso*: quod etiam multis probat. 8. *Physic.* cap. 4. Neque id solum asserit de inanimatis, *lib. de animalium motu c. 4.* & 8. *Phys. c. 4.* ubi hæc verba leguntur. *Impossibile est gravia, & levia à se ipsis moveri*: est enim hoc officium vitæ, ac animantium proprium: *Consistere etiam à se ipsis possent*: nam si quippiam est causa ambulandi, est etiam causa sibi, non ambulandi: quare si collocatum esset in igne sursum ascendere, esset in ipso situm deorsum ferri. Rationi quoque consentaneum non est, ea uno duntaxat motu moveri, si ipsa se ipsa moveant. Præterea, qui fieri potest, ut continuum quid, & copulatum, seipsum moveat. Nam quatenus quippiam unum, atque continuum est, passionis est expers: ubi verò

separatum est ab alio, unum agere, alterum
 pati aptum est. Neque ergo quicquam eorum
 se ipsum movet, quippe cum copulatum sit;
 nec aliud continuum ullum, sed in unoquoque
 divisum sit id quod movet, & quod movetur
 necessum est. Verum etiam de Animatis, ut
 8. Physic. c. 2. Animal prius quiescens, post-
 ea movetur, ac ambulat, nullo, ut videtur,
 eorum, quae extra sunt, movente. Hoc autem
 NB. falsum est; cernimus enim semper ali-
 quid eorum, quae innata sunt animali, move-
 ri: hujus autem motus non ipsum animal
 NB. causa est; sed id forte, quod ambit.
 Nostra itaque sententia est, motus omnis,
 qui in toto est universo, solam, & primari-
 am causam efficientem esse, D E U M, qui
 Materiam simul cum motu in principio cre-
 avit (neque enim Materia, ut causa socia,
 aut adjuvans, cum Deo concurrere potuit
 ad eundem sua sponte, seu internâ facultate
 eliciendum, quia talis agendi modus, ut su-
 pra quoque à nobis animadversum fuit, rei,
 sive substantiae intellectualis, & cogitantis
 tantum proprius est) jamque per solum su-
 um concursum ordinarium, tantundem mo-
 tus in ea tota, quantum tunc posuit, con-
 servat: cuius veritatis causa unicè petitur à
 Dei

Dei Sapientia cum constanti, immutabili, simplici^q; ejus operatione conjuncta: quid enim movisset Deum eum creare motum, cui aliquid vel addere, vel demere aliquando voluisse? cumque conservatio nihil aliud sit, quam continua quædam nova creatio, nemo non advertit, vel constantiæ, vel Sapientiæ in Deo defectum arguere novi motus ortum, aut præexistentis interitum: neque est, quod dicat quis, ipsam materiam motum suum accelerasse, cum se ipsam ignava illa materia, nullo modo movere possit. Ex iis, quæ jam diximus, hoc colligimus porisma. *Quod nullus nunc novus producatur motus, nec etiam ullus pereat.* Neque novi motus productionem arguit animalium ante quiescentium incessus, volatus, reptatio, vel natatus: nam motus isti non sunt novi motus, ex nihilo producti; sed proveniunt à motu spirituum, à materia cœlesti agitatorum, qui in musculos, & fibras, animalium artus agitantes, transeunt, ut quantum motus his partibus accedat, tantumdem spiritibus decedat. (Hinc in nimia, & nimis continua artuum, membrorumque agitatione, atque commotione, spiritus solent sè deficere, & vires suas perdere,)

Ut hic fiat non tam motus novus, quam ejusdem motus ex uno corpore in aliud propagatio. Neque etiam interitum alicujus motus arguit pila, magno impetu in arenam, vel cumulum plumarum conjecta, cuius motus, in arenis, vel plumis suffocari, & interire planè videtur: *Nam* motus ille pilæ non perit, sive annihilatur; sed communicatur partim arenulis, sive plumis; partim etiam aëri, aliisque occurrentibus corporibus, quod vel indè apparet, quod simul ac pila in pulverem, arenam, vel plumas conjicitur, magna è terra pulveris, arenæ, & plumarum copia surgat. *Sed hæc melius intelligentur ex quæstione sequente sexta.*

6. *Quænam sint causæ secundariæ, ac particulares diversorum motuum, quos in singulis corporibus advertimus?*

Resp. Quæstionem hanc non ideo proponimus, ut demonstremus præter Deum, aliam aliquā motus causam dari: hoc enim non immerito in præcedenti quæstione negavimus; sed ut ostendamus, motum, in principio creatum, non semper in certis quibusdam corporibus hærere; verum sæpè ex uno corpore in aliud transfire, sive,

varios, ac diversos motus quandoque in illis excitaric corporibus, quæ anteà vel planè quieverunt, vel tardiori, sive alio quo-cunque motu, mota fuerunt: Sic quæritur, cur arenulæ, quæ antea vel parum, vel nihil movebantur, mox tam diversis, & variis motibus incipient moveri? non hîc certè ad Deum recurrentum, quasi ille singulis momentis pro liberrimo voluntatis suæ nutu, modò in his, modò in illis corporibus novos crearet motus: Motum semel in cer-ta quantitate, & mensurâ creavit, nuncque à condendis novis motibus, cessat: Secun-dariæ, & particulares diversorum, & vario-rum istorum motuum, quos in singulis cor-poribus advertimus, investigandæ causæ sunt, eæque ostendendæ: Non possunt au-tem hæ melius investigari, quam si ex im-mutabilitate, atque immobilitate Dei, ejus-que in operando simplicitate, desumptas re-gulas, sive leges certas Naturæ cognosca-mus. *Quarum prima* (quæ jure optimo, communissima Naturæ Lex, reliquarum-que fundamentum, & basis appellari potest) est, quod nempè, *Unumquodque corpus, quatenus simplex, & indivisum est, quantum in se est, semper permaneat in eodem statu,*

*neque unquam mutetur, nisi à causis exter-
nis.* Ex hac prima regula concludimus, cor-
pora ea, quæ semel incipiunt moveri, tam-
diu continuare suum motum, donec extrin-
seca causa adveniat, quæ ipsa in ulteriori
motu impedit: ita globus si semel in orbē
verteretur circa proprium centrum in spa-
tio vacuo, sive in corpore, quod motus alio-
rum corporum nulla ratione impediret, nec
juvaret (hæc enim ipsissima natura Vacui
est, sicut intelligi deberet, si tale quid dare-
tur in Mundo) necessario eādem semper
lege, converti deberet: idem judicandum
de corporibus quiescentibus: si namque la-
pis, lignum, vel corpus quocunque aliud,
semel quiescant, nunquam moveri incipi-
ent; sed in æternum, in statu quietis perse-
verabunt, nisi causa aliundè adveniat, quæ
illa ad motum impellat. Hinc nunc patet,
quām longè à Veritate aberrent ii, qui pu-
tant, corpora sponte suos motus intermit-
tere, vel sponte etiam ad motum se dispon-
ere, non aliter ac Mens nostra sponte suā,
intermittit varias operationes per liberta-
tem, ut vocant Scolastici, exercitii, sive
contradictionis, vel etiam eas mutat per li-
bertatem specificationis, & contrarietatis:

Legi

Legi enim Naturæ hoc quam maximè ad-
versatur. Quies enim Motui, & Motus
Quieti contrarius est, nihilq; ad suum con-
trarium, sive ad destructionem sui ipsius, ex
propria natura ferri potest.


Altera lex Naturæ est, quod *Unaqua-
que pars Materiæ seorsim spectata, non ten-
dat unquam, ut secundum ulla lineas obli-
quas perget moveri; sed solummodo secun-
dum rectas, et si multæ sæpe cogantur de-
fletere ob occursum aliarum.* Confirmat
hoc experientia, non tantum in motu
recto, sed etiam in curvo, cuius rei ratio
in eo consistit, quod omnes lineæ curvæ
partes minimæ, lineolæ rectæ sint, in qua-
rum una cum corpus motum ultimò exi-
stet, vi immutabilitatis, & simplicitatis o-
perationis, per quam Deus motum in Ma-
teriâ ita conservat, qualis est eo ipso tem-
pore, quo conservat, etiam debet in illo
statu manere, & motum suum secundum
lineam rectam prosequi, nisi ab extrinseco
obvio corpore impediatur: ita quia lapis
fundâ per circulum rotatus, in quali-
bet istius circuli parte existens, est in lineo-
la aliqua recta: hinc ex B. veniens in A. ra-
ptu violento fundæ si in A. ex funda-
egre-

egrediatur, mox moveri pergit, non versus H; sed secundum lineam rectam versus C. imò & sursum, versus F, & deorsum versus E. & ad omnia loca, versus quæ tangens linea ex aliqua hujus circuli parte duci potest: nam licet prius venerit ex B. ad A. per lineam curvam, nihil tamen istius curvitatis in eo remanere intelligi potest, dum est in lineola recta A.

Atque hinc jam contingit, quod omnia corpora in orbem acta, perpetuò tendant recedere, quantum in ipsis est, à centro circuli, quem describunt: (quia scilicet tangens linea quamprimum extra punctum contactus est, & centro, & circulo longius removetur) ut ipso manus sensu experimur in lapide, dum illum fundâ circumagimus. Hinc, quo lapis celerius in funda circumgyratur, eo magis funis intenditur, atque ista tensio non aliundè, quam à solâ vi, quâ lapis recedere conatur à centro sui motus,

Gali-

exoritur. Hancq; rationem esse existimat *Galileus Galilæi Lynceus, Dialog. 2. p. 41.* Cur gravia superficie rotæ alicuius, velociter incitatæ, adhærentia, extrudantur, & lancinentur ultra circumferentiam, semper à centro longius, longiusque: sicut idem illud observatur quoque in arenulis superficie rotæ injectis.



Tertia lex Naturæ est. Ubi corpus, quod movetur, alteri occurrit, si minus potens sit ad pergendum secundum lineam rectam, quam hoc alterum ad ei resistendum, tunc deflectitur in aliam partem, & nulla parte celeritatis amissâ, solam motus determinacionem amittit: Quia enim unaquæque res, quatenus est simplex, & indivisa, tamdiu esse perseverat, quamdiu à nulla causa extrinseca destruitur, atque in occursu duri corporis, apparet quidem causa, quæ impedit, ne motus alterius corporis, cui occurrit, maneat versus eandem partem determinatus, non autem ulla, quæ motū ipsum tollat, vel minuat, quia motus motui contrarius

trarius non est, hinc necessariò sequitur, motum ipsum minui non debere. *Quod si verò magis potens est, tunc alterum corpus secum protrudit, idque ea lege, ut quantum motus accedit ei, quod motum accipit, tantum decedat alteri, quod eundem communicat* : cujus rei unica ratio petitur ab immutabilitate operationis Dei, materiam, & motum eādem actione, quā olim creavit, continuo jam conservantis : non quidem ita, ut motus iisdem materialē partibus infixus hærens, conservetur ; sed ut ex unius in alias, prout sibi mutuo occurruunt, transficiat. Et omnes causæ particulares mutationum, quæ corporibus adveniunt, in hac tertia Naturæ lege continentur. Consistit autem vis illa cujusque corporis ad agendum in aliud, vel ad actioni alterius resistendum, in hoc solo, quod unumquodque corpus, quantum in se est, tendat permanere in statu suo. Hinc namque id, quod alteri coniunctum est, vim aliquam habet impediendi, ne disjungatur ; id, quod disjunctum est, vim habet impediendi, ne coniungatur : id quod quiescit, vim habet impediendi, ne ad motum impellatur, aut excitetur ; sed ut in sua quiete perseveret :


id,

id, quod movetur , vim habet ad continuandum,& perseverandum in suo motu, tum ratione ejusdem celeritatis , tum etiam ratione ejusdem determinationis. Visque illa æstimari debet, tum à magnitudine corporis, quod movetur , vel quiescit , quia id quod majus est, *cæteris paribus*, & in agendo, & in resistendo est potentius, tum à celeritate motus, ac majore, minoreve determinationis contrarietate, aut dissimilitudine : Ut mirer, quod dicat *Cl. Regius*, lib. I. *Philosophiæ naturalis cap. 5. pag. 15*, nos vim movendi, & quiescendi ex sola magnitudine corporis æstimare. Neque obstat, quod dicamus (sicut ex infra dicendis patet) *Si corpus aliquod planè quiescens, sit triplo ex.g. majus, quam alterum in ipso motu impingens, nunquam illud loco ab illo movebitur*: Nam nos illam actionem consideramus tantum inter duo corpora perfectè dura, & à reliquis omnibus sic divisa, ut eorum motus à nullis alijs circumjacentibus impediatur, nec juvetur : malè igitur ad probandum, quod corpus motum, licet triplo sit minus altero, impetum tamen movendi habere possit decuplo, & amplius, majorem, quam est illa quiescendi vis, quæ

in corpore illo altero quiescente, triplo maiore existit, adducit exemplum vectis, trochleæ, cochleæ, aliarumque machinarum, in quibus corpus motum unius e.g. libræ motu suo tam est validum, ut corpus quiescens centum millium e.g. librarum in aëre, vel alio spatio, in quo hæc corpora æque benè moveri possunt, de loco movere queat: Nam corpus illud magnum, & ponderosum à corpore fluido, ut aér vel aqua est, circumcirca cinctum, à minima quidem vi externa movetur sæpiissimè, & è statu quietis deturbatur; sed motus iste non est à sola illa vi externâ; verum ab illis quoque fluidi particulis juvatur, quæ versus eandem partem cum corpore moto tendunt: Notandum quippe, quod corpora fluida non solum constent particulis à se mutuo disjunctis; sed etiam motibus, à se mutuo diversis, variè agitatis: ita ut fluidorum particulæ, secundum omnes situs differentias, ad dextram, ad sinistram, sursum, deorsum antrorsum, retrorsū moveantur; Cum igitur corpus aliquod in fluido ponitur, dūmodo fluidum illud se toto non moveatur, non magis quidem in hanc, quam in illam partē movetur, neq; unis particularum impul-

pulsibus magis cedit, quam aliis, eo quod omnes supponuntur esse æquales: tendunt enim tot particulæ versus dextrā, quot versus sinistram, tot retrorsum, quot antrorsum, tot sursum, quot deorsum: si tamen vis externa, etiam minima, accedat, facilè vel in hanc, vel in illam partem movetur, non secus ac corpora æqualis ponderis lancibus imposita, servant quidein æquilibrium; sed, si vel minimum alterutri additum fuit, deprimitur mox, moveturque deorsum: neque tamen necesse est, ut sola vis externa omnem, qui in majori corpore duro, quod in fluido natat, & consistit, motum contribuat; sed sufficit, si accessu suo ad partem unam tollat æquilibrium, sicque efficiat, ut vis illa fluidi, quæ propendebat ad unam partem, puta ad dextram, & à vi opposita retinebatur, superior evadat, suumque effectum sortiatur in provehendo corpore illo majori, illi innatante. Atque hæc ratio est, cur grandes quævis naves à minima vi externa propellantur, quæ, si super terram consisterent, maxima quoque vi adhibita, de loco dimoveri vix possent: quod idem etiam contingit in saxo grandi, A. 50. vel 100 librarum, suspenso, ex fune B. in

corpore fluido, aëre : si enim, leviter saltem,



digitō C. impellatur, de loco suo moveretur : quod, non nisi impetu, & vi valida, si in terra jaceret, è statu quietis deturbari posset.

*Verum redeundum
eò, undè digressi fui-
mus. Diximus enim,
quod ex lege tertia*

Naturæ, quoties contingit, ut corpus, quod movetur, impingat in corpus aliud, quod magis potens est in resistendo, quam illud est in movendo, tunc necessariò illud deflectatur in aliam partem, & motum omnem suum retinendo, solam motus determinationem amittat ; si verò minus potens est in resistendo, quam illud est in movendo, tunc illud necessario alterum corpus secum moveat, ea lege, ut quantum ei dat de suo motu, tantudem ipse perdat. *Quo pacto sæ-
pè parum, sæpè multum motus perditur,
vel acquiritur, & interdum ea, quæ mo-
ventur, toties in corpora obvia impingunt,
eaque nonnihil impellunt, ut omni tandem*

motu

motu ipsamet priventur. Sed ut certò, & accuratè scire possimus, quomodo singula corpora motus suos augeant, imminuant, perdant, vel in alias partes inflectant ob aliorum corporum occursus, considerabimus duo corpora perfectè dura & à reliquis omnibus sic divisa, ut eorum motus à nullis aliis circumjacentibus impediatur, nec juventur : Ea enim, si inter se in directum committantur, regulas sequentes Naturæ observabunt.

P R I M O. *Si duo illa corpora. A. & B. essent planè æqualia, ac æque velociter moverentur, B. quidem à dextra, sinistram versus, & A, à sinistra versus dextram, cum sibi mutuo in puncto. C. occurrerent, resilirent, & reflecterentur, & A. quidem versus sinistram, B. verò versus dextram æquali velocitate, & nulla parte suæ celeritatis amissa, statim rediret.*

Sinistra.



Dextra.

Cum enim duo ista corpora. A. & B. planè æqualia, & perfectè dura, atque æque

etiam velociter mota supponantur, non possunt non quoque movendi, & resistendi vires ipsis inesse æquales : & quia vis movendi, & resistendi, utriusque ipsorum inest æqualis, ideo alterum nequit alterum vincere, ut illud secum moveat : neque tamen in puncto occurfus. C. quiescent, quia nihil est, quod duorum istorum corporum motus vim fistere, aut impedire, vel etiam immuere possit ; sed, servato eodem celeritatis gradu, id est, si corpus. B. ex dextra, & corpus. A. ex sinistra veniens, 10. gradus motus habuerit, resiliet, & reflectetur utrumque cum 10. suis gradibus motus, eo quod æquali impetu, & adversa determinazione alterum impingit in alterum.

S E C U N D O. *Si. B. effet tantillò majus, quam, A. & non velocius tamen moveretur versus sinistram, quam, A. versus dextram, ubi mutuo in puncto. C. occurrerent, tum solum. A. reflecteretur, & utrumque versus sinistram eadem celeritate moveretur.* Cum enim non velocior motus supponatur esse in B. quam in A. cumque non magis in hoc casu, quam in priori, sit causa, quæ motum corporis. A. perdat, imminuat, vel etiam impiediat, ubi. B. in illud impingit, necessarium

rium quoque est, ut. A. eâdem, quâ ad. B. veniebat, celeritate reflectatur, ita tamen, ut tam celeriter antecedat, ut. B. proximè à tergo quidem. A. insequi; sed nullo modo illud propellere possit.

T E R T I O. *Si duo corpora. B. & A. mole essent æqualia ; sed. B. tantillo celerius moveretur, quam. A. non tantum ambo pergerent moveri versus sinistram, factio eorum occursu in puncto C. sed etiam transferretur ex. B. in. A. media pars celeritatis, qua hoc ab illo excederetur, id est, si prius fuissent 10. gradus celeritatis in. B. & 8. tantum in. A. post mutuum occursum, unumquodq[ue] tenderet versus sinistram cum 9. gradibus celeritatis.* Nam cum. A. ob motus tarditatem, resistendi, & agendi virtute supereretur à. B. hinc ei cedat necesse est, & B. proximè sequatur; verum cum in. B. major sit motus celeritas, quam est in. A. sequi etiam nequit, & simul cum A. sinistram versus moveri, nisi. A. protrudat, talemque impetus sui partem communicet, quæ priori, jam anteà in. A. existenti, addita, utriusque motum æqualem faciat, ita ut nec. B. impellere amplius, nec. A. aufugere possit, sed utrumque simul, æquali velocitate,

nempe cum 9. gradibus celeritatis, finistram versus tendat.

Q U A R T O. *Si corpus. A. planè quiesceret, essetq; paulò majus, quam. B. quacunque cum celeritate. B. moveretur versus. A. nunquam tamen ipsum. A. moveret; sed ab eo repelleretur in contrariam partem: quia corpus quiescens magis resistit majori celeritati, quam minori, idque pro ratione excessus unius supra alteram, & idcirco semper major esset vis in. A. ad resistendum, quam in B. ad impellendum.* Cum enim motus, qua motus, non sit contrarius motui; sed quieti, hinc quo tardius fuit corpus. B. motum, eo minus contrarius erit motus ille tardus quieti corporis. A. (quia tarditas de natura quietis participat) unde si. B. vehementissima, & absolutâ velocitate moveatur versus corpus quiescens. A. habebit quoque. A. vehementissimam, & absolutissimam resistendi vim.

Q U I N T O, *Si corpus quiescens. A. esset minus, quam. B. tunc licet tardè, B. versus A. moveretur, illud tamen, secum moveret, partem scilicet sui motus ei talem transferendo, ut utrumque postea æquè celeriter moveretur: Nempe si B. esset duplo majus, quam*

qnam. A. transferret ipsi tertiam partem sui motus, quia una illa tertia pars, tam celeriter moveret corpus. A. quam duæ aliæ residuæ corpus. B. duplo majus. Et ita postquam. B. ipsi. A. occurrisset, unâ tertiatâ parte tardius moveretur, quam prius : hoc est, tantundem temporis requireret, ut moveretur per spatium duorum pedum, quam prius, ut moveretur per spatium trium. Eodem modo si. B. esset triplo majus, quam A. transferret ipsi quartam partem sui motus : & sic porro.

S E X T O, *Si corpus. A. quiescens, esset omnino æquale corpori. B. versus illud moto, partim ab ipso impelleretur, & partim ipsum in contrariam partem repelleret: nempe si. B. veniret versus. A. cum 4. gradibus celeritatis, communicaret ipsi. A. I. gradum, & cum 3. residuis resiliret versus partem adversam:* Cum enim duo ista corpora A. & B. supponantur æqualia, æqualis quoque vis resistendi, & agendi, ab utraque parte erit : & quia illa resistendi vis in A. otiosa non est ; sed reactiva (sit fas ita cum Scholasticis loqui) hinc utrumque ab altero aliquid pati, & vicissim in illud agere debet ; quod fiet, si. B. 4. parte sui motus com-

municata, statim cum reliquo ab. A. refle-
ctetur.

Denique **S E P T I M O**, *Si. B. & A. in eandem partem moverentur, nempe à dextra versus sinistram, pari celeritatis gradu, ita ut. A. antecederet; B. vero insequeretur, nullus eorum contactus, proindeque etiam nulla mutatio fieri posset.* Quod si. A. move-
retur tardius, necessario. B. illud aliquan-
do assequeretur, illudque parte aliqua sui
motus ipsi communicata, secum moveret;
nempè si. A. minus esset: *Si autem è contra,*
excessus magnitudinis in. A. esset major,
quam, excessus celeritatis in. B. retento om-
nī suo motu. B. in contrariam partem resili-
ret. Verum si. A. tantundem excederet mag-
nitudine, essetque duplo majus, quantum. B.
excederet motus celeritate, haberetque mo-
tum duplo celeriorem, necessum esset, ut. B.
partem celerioris istius motus transferret in
A. simulque ab ipso resiliret cum reliquo.
Verūm hæc omnia non prolixā egent pro-
batione, quia per se satis sunt manifesta;
quia tamen nulla in Mundo corpora esse
possunt à reliquis omnibus ita divisa, & nul-
la, quæ notabilem magnitudinem habent,
circa nos esse solent planè dura: quæ pro-
inde

inde non se totis agunt in se invicem; verum non nihil inflectuntur, aut franguntur, hoc est, in occursibus suis secundum partes moventur, ideo difficile, imò impossibile est, inire calculum ad determinandum, quantum cujusque corporis motus ob aliorum occursum mutetur: quis enim omnes, & singulas causarum minutias, quæ in ipsis occursibus occurrunt, unquam exactè, & perfectè cognitas habere potest? Neque tamen ideo inutilis, & otiosa censeri debet harum legum consideratio, ut vult *M. Watsonius*, disp. 6. §. 5. quia, sicut doctè hanc in rem differit *Cl. Joh. de Raey*, disput. 4. ad problem. Arist. §. 18. Ut in *Republica*, sic & in *Natura*, & *Universo* Leges pro ratione circumstantiarum, & subjectorum intelligi, & applicari debent: neque unquam desinunt esse veræ, licet magna in earum circa particulares casus executione, appareat varatio. Verum uti sempiternæ veritatis Lex est in societate hominum, unumquemque tueri debere se ipsum, ideoque Vim vi esse repellendam, & Suum tamen cuique esse tribendum, et si in particularibus ob circumstantiarum multitudinem, ac varietatem dubium sæpe sit, quæ, & quanta ad nos pertineant,

neant, quidve spectet ad alium, quid violentum sit, quantave vi repellendum, &c. ita in rerum omnium naturalium Universitate, quæ Mundus dicitur, perpetuò verum est, Unumquodque corpus, quantum in se est, semper manere in eodem statu, neque unquam destruere se ipsum, aut quicquam ad se pertinens, verùm resistere iis omnibus, quæ quo-cunque modo illi adversantur, adeoq; etiam vim vi repellere, & potentiori tamen cedere, atque illud, quod imbecillius est, superare.

7. *Cur motus corporum descensorius in initio sit tardior, in fine velocior?*

Resp. Sunt nonnulli, qui planè negant, corpora ea, quæ descendunt, initio tardius, in fine verò velocius moveri; inter quos est *Cl. Weinrichius*, qui ita, cap. 5. de *Monstris*, philosophatur. *Quis credat lapidem, aut annulum cum è turri dejicitur, initio tardius, postea, cum terræ vicinior est, delabi celerius?* quo sensu id notare potest? tum quæ varietatis ratio in eo motu? cur deorsum vergat, gravitas facit, cur citius aliquando, in eādem gravitate positum id esse

esse, necesse est; sed auctâ. At lapidis pondus explora, ante quam è manu ejicis. Idem facito, cum decidit. Eadem ponderis ratio. Cur igitur in uno spatio velocius, in altero tardius. Sed miror, Virum clarissimum ob falsas, & præconceptas opiniones ea negasse, quæ & rationi, & experientiæ conformia sunt. Scilicet ita cum multis Philosophis comparatum est, ut malint falsis suis principiis mordicus inhærere, & secundum ea de rebus naturalibus judicare, & quæ ratione, & communi experientiâ comprobantur, vel negare, vel in dubium revocare, quam ea rejicere, & certiora, firmioraque investigare: Galilæus, *Dialogo 2. p. m.* 163. non tantum observavit, corpora descendentia, ut primùm illa quietem deserunt, continuò velocitatis incrementa sumere; sed etiam mathematicè demonstravit, acceleratiōnem motus gravium fieri secundum numeros impares ab unitate, hoc est, signatis quibuscunque, & quantiscunque placuerit, temporibus æqualibus, si in primo tempore mobile, quietem relinquens, transferit tale spatiū. e. c. unius ulnæ, in secundo tempore transiturum tres ulnas, in tertio quinque, in quarto septem, & sic consequenter,

secun-

secundum numeros impares succedentes.
Quod in universum idem est, *inquit*, ac si dicamus, quod spatia transmissa à mobili quietem relinquente, habeant inter se proportionem duplicatam illius, quam habent tempora, quibus ista spatia demensi sumus. Atque ex hac sententia idem *Galilæus* demonstrat globum ferreum 100, vel 10. librarum (nihil enim interest, quia duo globi, quorum unus 10. alter 100, vel 1000. librarum, unum, idemque spatium, ab eadem altitudine demissi, eodem, & æquali tempore demetiuntur: cuius rei rationem hanc puto esse, quod unumquodque corpus grave, à materia cœlesti, mole ipsi æquali deprimitur, ut ita exigua materiæ cœlestis moles eandem planè vim habeat in exiguum corpus grave, quam magna ejusdem moles habet in magnum corpus, undē proindè etiam exiguum corpus eadem celeritate descendere debet, quâ descendit magnum) si ex Luna decideret, breviori, quam 4. horarum spatio ad centrum Terræ perventurum. Verba ipsius merentnr omnino huc apponi, ut tanto evidenter contra *Weinrichium*, nonnullosque alios constet, corpora in suo descensu motus suos cele-

celerare. Ponamus, inquit I. c. p. m. 175. calculo nostro subjiciendum globulum ferreum centum librarum, qui, quod experientia s^ape repetita docuit, centum cubitorum altitudinem, quinque secundis horæ minutis emititur. Cumque, ut jam indicavi, spatia à cadente transmissa, crescant in duplicata proportione, h. e. secundum quadrata temporum, tempus autem unius minuti primi duodecuplum sit ad tempus quinque secundorum; si jam multiplicemus centum cubitos per quadratum, radicis 12. hoc est per 144. habebimus 14400. qui erit numerus cubitorum, quos idem mobile uno primo hora minuto transibit. Et secundum eandem regulam, cum hora constet 60. minutis, multiplicando 14400. numerum cubitorum uno minuto transmissorum, per quadratum radicis 60. h.e. per 3600, provenient inde 51840000, qui est numerus cubitorum, una hora emetendorum, quæ sunt millaria (Italica) 17280. Quod si placeat explorare spatiū quatuor horis emetiendum, multiplicabimus 17280. per 16 (quod est, quadratum radicis 4.) indeque provenient millaria 276480, qui numerus multo major est distantia à concavo Lunari, usque ad centrum Terræ, quæ distan-

distantia est milliarum 196000. si distantiam concavi 56. semidiametris terrestribus metiamur, ut facit antor ille recens ; semidiametrum verò terrestrem 3500. milliari bus, quorum unumquodque sit cubitorum 3000. cuiusmodi sunt Italica nostra millaria. Hæc Galilæus. Posito igitur hoc, quod corpora descendentia, motum accelerent, investiganda causa, cur hoc ita fiat, ut quæstioni propositæ satisfiat. Duo autem imprimis discutienda exhibet hæc quæstio 1. *Cur corpora gravia descendant?* 2. *Cur in descensu motum accelerent?* Quantum ad primum, certum est illum descensum non esse à gravitate aliqua corporis intrinseca, quod communiter Peripatetici docent. (1) quia principium, & causa intrinseca istius gravitatis, quæ fингitur esse forma substantialis, non datur, sicut supra à nobis demonstratum : Et cur gravitatem magis derivant à forma, quam à materia? num fortè si materia forma careret, omni etiam gravitate destituta foret? vel num fortè forma, quæ ipsis substantia est immaterialis, & spiritualis, gravis est? neutrum facile dicent, si sapiant. (2) quia tunc globus 100, vel 1000 librarum citius ad terram pervenire debe-

deberet, demissus ex turri, vel loco aliquo editiori, quam globus 10, vel 20 librarum, utpote cui major inesset gravitas, quod tamen experientiis repugnat, quas benè multas collegit *Leander Bandius*, *Brugis in Flandria*, ex editioribus *Dunensis* Monasterii fenebris, *Anno 1642*, mense Augusto.
Quæ igitur est descensus corporum causa? Dicimus nos, descensum istum esse à vi materiae cœlestis, agentis in quodvis corpus sibi resistens, & remoram injicere laborans, quominus per viam omnium brevissimam se à centro sui motus, magis, magisque per naturæ leges removeat: cum enim materia cœlestis sit substantia fluidissima, id est, cum constet particulis variè, & celerrimè interfuse in omnes partes quaquaversum agitat, motu isto suo undique in superficiem convexam globi terrestris impingit, & à motu in eam partem continuando avertitur, undè vim aliquam acquirit ad se à terra (quæ istius vorticis, in quo materia ista cœlestis movetur, centrum est) quantum fieri potest, removendum; sed, quia vis illa in actum deduci non potest, nisi eodem tempore materia cœlestis alia corpora, sibi mole æqualia, è loco suo pellat, & ad spatium à se


L

relictum,

relictum, per circulum deturbet, ideo lapis ex filo in aëre suspensus, eo momento, quo filum rumpitur, à materia cœlesti, à tellure per lineam rectam recedere allaborante, deorsum in locum à se relictum pellitur, sicque descendit. Quantum ad *alterum*, respondemus, quod innovatio actionis materiae cœlestis, manente impetu ex antecedentibus actionibus acquisito, sit unica causa accelerationis motus in corpore descendente: quia enim corpus ex altiori loco decidens, per magna ferridebet spatia, materiaq; cœlestis nunquam intermittit in corpus grave actionem, & vim suam exercere, facile concipere possumus, quod motus motui additus, accelerationem causare debeat, ita tamen, ut gravia, dum materia cœlestis ea continuò infra se in locum suum deprimit, motu uniformiter, & æqualiter accelerato versus Terram moveantur, & singulis æqualibus temporibus, æquales velocitatis gradus acquirant: ita ut si in fine cuiuscunque temporis assignabilis, unus velocitatis gradus accesserit, in fine secundi, priori æqualis, duos, in fine tertii, tres, atque ita porrò putemus accessisse;


Ita quæritur, cur globus. A. ex superiori parte

parte Turris decidens , in initio tardius in fine celerius descendat? Nulla hujus descensus accelerati ratio alia est , quam quæ antè à nobis data est : nimirum, quo spatum majus est, per quod corpus descendere debet, eo solet innovatio motus esse crebrior, ejusq; acceleratio major : quia enim globus A. ex superiori turris parte in B. actione materiæ cœlestis, protrusus, accipit motum aliquem ab impulsu isto materiæ cœlestis , motumq; illum servat, quādo ulteriori materiæ cœlestis actione propellitur ex. B. in. C. necesse est, ut ex B. in C. duplo celerius moveatur, quam ex A. in B. hic enim uno tantum , illic verò duobus motus gradibus movebatur : uno scilicet , quem ex descensu ex A. in. B. acceperat, quemque cum ex B. in C. descendenderet, retinuerat ; altero autem, quem à nova materiæ cœlestis actione , & impulsu, dum ex B. in C. descendebat , acquisiverat . Quod si ulterius globus ille ex C. in D. nova iterum materiæ cœlestis a-



ctione, descendat, tribus gradibus movebitur, nempè duobus, quos ex descensu ex A. in B. & ex B. in C. accepit; & uno, quem ex descensu ex C. in D. accepit.

Atque ex hac doctrina, facile nunc explicatur, gravis, & ardua illa quæstio, cur melius, & felicius ligna findantur securi, longius habente manubrium, quam brevijnimirum, quia securis longioris manubrii, per majus spatium movetur, atque ita tum à brachio percutientis, tum etiam ab actione materiæ cœlestis, plures motus gradus accipit, qui gradus multiplicati, atque uniti, vim etiam majorem habent, ad ligna finienda.



Ut ita opus non sit cum *Pererio*, & *Cl. Sperlingio*, recurrere ad medii diversitatem, quod juxta ipsos, in principio, motui quidem resistit, in fine vero non tam resistit,
quam

quam motum juvat. *Nam* aér, quia corpus fluidū est, quod particulis constat, motibus à se mutuò diversis variè agitatis, non potest non semper aliquid resistentiæ habere: alias enim navis in corpore fluido, quale etiam aqua est, semel propulsa, continuo, & semper moveri deberet, quod tamen non fit: quæ causa est? quia nempè impetu deficiente, quem navis acceperat à violenta protrusione. v. c. hominis in ripa stantis, ipsæ fluidi particulæ pristinam illam, & liberiorem in omnes partes agitationem recuperant, sicque varios, & distinctos in latera navis faciendo insultus, illam tandem ad æquilibrium ducunt, ut non magis in unam, quam in alteram partem propendeat: quod si igitur lapis decidens non à continua, & creberrimè innovata materiæ cœlestis actione, moveretur, non solum non descenderet; sed etiam si à projiciente deorsum projiceretur, continuò tardius moveri deberet, eo quod impetus ille, ipsi à projiciente communicatus, à resistente aëre labefactaretur, & tandem planè diminueretur.

8. *Cur motus corporum ascensorius, in initio sit velocior, in fine vero tardior?*

Resp. Communiter hodiè *medium*, vel *aërem* motus hujus causam faciunt, idque dupliciter: alii respectu medii, seu *aëris cedentis*: alii respectu ejusdem impellentis. Sed neutra responsio rem acu tetigit: & prior quidem ex parte rectè refutatur à *Scaligero*, *Exercitat.* 28. *Non potest*, inquit, *antecedens aër velocius moveri*, quam *movetur lapis, à quo semel impulsus est aër ille*, nec unquam *impellitur aër ille subsequens à lapide*, quia *expresse dicunt*, *succedere lapidem, ne detur vacuum*. Quod autem dicant, *aërem à lapide motum multò velocius præcurrere*, quam *movens movet*, & *succedere lapidem, ne vacuum detur*, id consistere nullo modo potest: nam, ut *Basso* ait, *lib. de Motu, intent. 4. art. 2. p. 335.* *Si aër à lapide motus, multò velocius præcurreret, quam movens moveret, longè facilius esset, alium aërem transversum intercedere* (vel secundum nos, materiam cœlestem, aëre longè subtiliorem, undique ipsius partes pervadentem, atque omnia angustissima spatia impletentem) *qui, ne dare-*
tur

tur vacuum, spatum, ab aëre fugiente reli-
ctum, occuparet. Altera responsio est Cl.
Sperlingij p. 435. ubi ille ita. *Prius qui as-
serunt, nempè motus istius causam esse im-
pellentem aërem, soli rem tetigisse videntur
acu.* Summa hæc est. Primus projectorum,
& in specie lapidis, aut sagittæ, vel globuli,
impetus à projiciente est. *Hic quo validior,
eo aërem disjicit vehementius.* Aëre disje-
cto partes aëris magno impetu ad sui unio-
nen ruunt, telumque projectum, aut lapidem
protrudunt: protrusus lapis vicissim proxi-
mum sibi aërem rumpit, unde pariter aëris
partes ad sui unionem procurrunt, lapidem
que ulterius promovent. Et hoc iterum, ite-
rumque facto, ad naturalem tandem motum
inclinat lapis, aëris viribus languescenti-
bus, ac senescentibus. Atque hinc facile est
causam dare, cur motus violentus in princi-
piis sit velocior, in fine tardior? primus enim
impetus fortissimus est, secundus minus for-
tis, tertius debilis, quartus debilior, donec
tandem per imminutionem continuam deve-
niamus ad quietem. Sed nec Sperlingius
rem acutetigisse videtur. Projecta enim, ab
aëre non propelli, vel inde constat, quod
tantum officiat dividendus ille aër, qui an-

tecedit, quantum juvat, qui subsequitur. Si recurrat ad impetum in initio, mobili à movente impressum, rectè quidem philosophatur; sed cur in mobili impetus ille tandem deficiat, non explicat, vel demonstrat: imò secundum ipsius explicationem, impetus à projiciente mobili communicatus, non tam deficere, quam crescere debet. *Primus enim impetus, inquit, à projiciente est.* Rectè. *Hic quo validior, eo aërem disjicit vehementius, lapidemque protrudit.* Ponamus igitur nunc, lapidem in altum projectum, 20. gradus impetus, sive motus, à projiciente accepisse, in prima certè aëris divisione vel nihil impetus amisit, vel aliquid: Si nihil; ergò impetus ille necessariò augeri debet ab aëre à tergo urgente, & magno impetu propellente, atque ad minimum 1. aut 2. gradus impetus lapidi addente: Si aliquid impetus amisit (quod tamen quomodo fiat, non explicat *Sperlingius*) facile, quia secundum ipsum, aér magis insequens à tergo premit, quam aér antecedens resistit, resarcietur aliqualis illa impetus diminutio, ab aëre lapidem premente: proindeque ad minimum, si non celerius, saltem æquè celeriter, per indefinitum spatiū


tium moveris sursum debet lapis ille projectus : quod quia absurdum est, non placet *Cl. Sperlingij* responsio. Nos igitur existimamus, causam, quare motus ascensorius projectorum sit in principio velocior, in fine vero tardior, hanc unicam esse, quod projecta illa corpora, dum per aerem, vel alia corpora transeunt, motum suum, quem a projiciente acceperunt, communicent corporibus obviis, quo fit, ut quantum motus aliis communicant, tantum ipsa perdant, aut amittant, ut tandem omni destituantur motu. Ita, sit globulus, qui, dum a manus sursum projicitur, gradus motus habet decem, hic quando motu suo pervenit ad B. non potest non aeris, qui est inter A. & B. aliquem motus gradum communicare, eo quod aer violenter e loco suo movetur, qui motus violentus aeris est a motu lapidis ; sit autem ille gradus tantum unus, jam globus existens in puncto B. movebitur tantum gradibus 9. motus : perveniat ulterius motu suo impresso ad C. necesse iterum est, ut aeris, qui est inter B. & C. aliquem gradum motus communicet : qui iterum tantum sit unus, jam existens in puncto C. movebitur 8. gradibus, donec

tandem ultra K pervenientis, omni suo motu privetur: jamq; extra punctum K quiesceret globulus ille, nisi iterū deorsum deppereretur à materia cœlesti vorticis Telluris.

Quod si inter manum projicientis, & concavū Lunæ vacuum esset, sive si existeret in illo spatio tale corpus, quod motus aliorum corporum nulla ratione impediret, nec juvaret, corpus semel leviter sursum impulsum, aut projectum, moveretur, non quidem in momento; sed successive, usque ad concavum Lunæ: nihil namque esset (ex Hypothesi) quod motum ipsi suum auferret, vel ipsum in motu suo impediret.

9. *An motus distinguatur ab ejus determinatione?*

Resp. Quid determinatio sit, explicatum à nobis est, præcepto 6. Eam autem distinguere à motu, patet ex eo, quod motui motus nunquam sit contrarius; cum se mutuo nec tollant, nec imminuant; sed quidem determinatio



minatio determinationi, cum altera alteram destruat, & perdat, ut videre est, si sumamus duo corpora dura. A. B. ejusdem magnitudinis, & æquè velociter mota, atque ea in se invicem adversa determinazione impingere faciamus, B. quidem à dextra sinistram versus, A. verò à sinistra versus dextram: tunc enim, ubi in puncto occurfus C. pervenerint, motu æquali servato, determinatione autem utriusque in contrariam mutata, à se mutuo in contrarium resilient: ita ut corpus B. quod primò à dextra versus sinistram movebatur, tunc moveatur à sinistra versus dextram: & corpus A. quod à sinistra versus dextram movebatur, tunc moveatur à dextra versus sinistrā: sic ut hoc ex *apposita figura* manifestum est.



10. *Quid judicandum de definitione Motus Aristotelica?*

Resp. Aristoteles lib. 3. Physic. cap. 1.
Motum definit, quod sit ἀπλέχει τὸ δυνάμει
οὐκ οἵ τις τον, id est, Actus entis in potentia

quatenus est in potentia. In qua definitio-
ne *Interpretes Aristotelis* ponderant tum
genus, tum etiam differentiam. *Genus* est
έντελέχεια, sive *actus*. Quid autem propriè per
έντελέχειαν intelligi debeat hic, adhuc apud
ipso sub judice est. *Hermolaus Barbarus*
vertit, *perfectihabia*, quasi ab *έντελης*, &
έχω: illa vero *έντελέχεια*, sicut ex lib. 5. de *A-*
nima probant, est vel *πεώθη*, sive prima, vel
δύναμις, sive secunda: per *actum* hoc loco in-
telligunt non primum, sed secundum, eum-
que non perfectum; sed imperfectum.
Differentiam desumunt 1. à *subjecto*. 2. à
subjecti affectione. 3. ab *affectionis reduplica-*
cione. (1) *Subjectum* juxta ipso contine-
tur vocula ejus, quod corpus mobile est, seu
id, quod *subjectum motus* est (2) *Affectio*
exprimitur voce *potentiae*: quæ *potentia* ta-
men non simplex; sed mixta intelligenda
est, id est, talis, cui aliquid *actus* est conju-
nctum, ut in aquatepida (3) *reduplicatio af-*
fectionis est, *quatenus in potentia*: cum e-
nim, inquiunt, quæ moventur, partim *actu*,
partim *potentia* sint, explicandum *Aristo-*
teli erat, quo respectu motus corporum
movendorum *actus* esset, an qua *actu* jam
sunt, an verò qua in *potentia* sunt ad ulti-
mam,

mam, & completam perfectionem? cui du-
bio occurritur per particulam reduplicati-
vam, *quatenus est in potentia*: id est, Motus
est actus mobilis, non, quatenus id actu est,
seu quatenus aliquid formæ accepit; sed
quatenus ad formam illam perfectius ac-
quirendam tendit. Hinc in omni motu tria
esse docent. Actu aliquid formæ, ad quam
fit motus. Potentia ad ulteriorem partici-
pationem ejus formæ, & deniq; fluxus qui-
dam ad formam. Hæc Aristoteles, & ex
eo, vel saltem secundum ejus Mentem, Pe-
ripatetici, quæ ideò tam prolixè proponere
volui, ut tanto melius de definitione Mo-
tus Aristotelica, judicium, & sententiam
nostram ferre possemus. Igitur, præter ma-
ximam definitionis obscuritatem, notamus
insuper ejus falsitatem. Aliquid actus in
motu adesse, & aliquid abesse dicunt, cum
potentia illum recipiendi perfectius. At
quis & qualis est iste actus, qui partim adest,
partim abest? *An substantialis*, nempè fa-
mosa illa forma substantialis? at ea non da-
tur, &, si daretur, falsa tamen, vel ex pro-
priis hypothesibus, esset ista assertio, cum
juxta ipsos, omnis forma sit indivisibilis, un-
dè nullo modo aliquid istius adesse, & ab-
esse

esse potest; sed oportet, ut tota simul adsit. Hinc ipsi quoque docent, omnem Generationem, strictè dictam, esse instantaneam, eo quod terminus ejus nec habeat contrarium, nec latitudinem partium, cum sit substantia. Vid: *Gisbertus ab Isendoorn Physic. Special. Tractatu tertio c. 10. quæst. 3. p. 182.* An fortè actus aliquis *accidentalis*? non perfectò; cum omnis actus sit indivisibilis essentialiter, neque ullo modo longa duratione, *ut illi volunt*, perficiatur; sed æquè perfectus sit in initio, atq; in medio, & fine: Ac quamvis actus actui possit addi (quod nos libenter concedimus.) non fit tamen ex eo prior actus perfectior; sed tantum plures perfecti actus conjunguntur, qui sibi invicem arctè conjuncti, pro uno sæpè haberi solent, & revera etiam haberi possunt. Neque mobile, quatenus constat duobus gradibus motus, est in potentia ad ulteriorem motum: nam illa potentia intelligeretur vel ratione ipsius mobilis, vel ratione ipsius motus: at, non ratione ipsius mobilis: quia mobile ex se ulteriorem motum elicere non potest, cum tantum respectu motus passivè se habeat: neque etiam ratione ipsius motus: quia motus ille duorum

rum graduum ex se augeri non potest : fate-
mur quidem, quod duobus illis gradibus
motus adjungi possint ab extrinseco mo-
vente, 6. vel 7. imò plures alii gradus mo-
tus : interim tamen & hoc concedendum
est, quod duo gradus motus , sint perfectus
motus, neque ratione illius motus mobile
habeat potentiam ad ulteriorem motum :
quia unaquæque res, eo statu, in quo est, con-
tentus est, neque aliud statum affectat : Sic
quoque aqua, quando calefit, & unum gra-
dum caloris accipit, perfectum calorem ha-
bet, nec est in potentia ad ulteriorem calo-
loris gradum : & licet plures gradus caloris
ab extrinseco agente, aquæ adveniant, non
tamen ideo calor prior fit perfectior, neque
ideo etiam cogitandum aquam in potentia
fuisse, ad ulteriorem istum calorem, nisi pas-
sivè. *Verbo.* Mala est Aristotelis Motus
definitio, & pessima ejus explicatio à Peri-
pateticis tradita : quia & ille , & hi falsis ni-
tuntur hypothesibus. Addi & illud potest,
quod definitio motus non tam sit physica,
quam Logica, aut Metaphysica ; cum non
solum motui corporum, sed & motui spiri-
tuum, puta Angelorum : imò & Formis sub-
stantialibus tribui queat. Præsuppono au-
tem

tem nunc, & dari formas, quæ talem habent naturam, qualis hodie describitur, & Angelos ita moveri, sicut *Peripatetici* in sua *Metaphysica* explicant. Quibus præsuppositis, ostendam nunc breviter definitionem motus in *Physicis* ab Aristotele traditam tribui posse 1. motui Angelorum, 2. ipsis formis substantialibus. Quantum ad *primum*, Cum Angeli in spatiū distans non moveantur in instanti, sed aliquam, juxta ipsos, requirant in motu suo Angelico, & spirituali moram (legatur hac de re *D. Scheiblerus lib. 2. Metaph. c. 4. §. 232.*) non minori jure, quam motus corporum, dici potest ipsorum motus, actus mobilis, scilicet Angeli, vel spiritus, in potentia, nempè respectu termini ad quem, quatenus est in potentia, id est, quatenus nondum consecutus est terminum ad quem. At si definitio illa Motus tam generalis est, cur proponitur in *Physica* tanquam corporum propria? quamvis igitur concederemus definitionem eam esse bonam, quod tamen non concedimus, aliena tamen esset à præsenti loco. Ut non immerito *Baco de Verulam* in aureo suo *Scientiarum organo, Aphorismo 63. p. 6.* hanc motus definitionem vocet

vocet dialecticam, doceatque hoc peculiare *Aristotelis* vitium fuisse, quod Philosophiam naturalem dialecticā sua corruperit. Quantum ad alterum: cum forma *Aristotelis* sit actus materiæ; materia verò ens in potentia, necessario una & eadem formæ, & motus esse definitionem appetat. Unde hoc absurdum coguntur admittere, Motum esse Formam substantialem, & Formam substantialem esse motum; quia, quibus una convenit definitio, iis etiam competit idem definitum, nisi velint definitionem illam, ut inconvenientem, ex Physica eliminare, quod ingenuos decet Philosophos. Frustra excipit *M. Watsonius* disp. 7. thesium probabilium §. 6. formam esse actū materiæ, quatenus est generabilis, non quatenus mobilis: Nam i. falsum est, formam esse actum materiæ, quatenus generabilis est, cum sit solum actus materiæ, secundum ipsos Peripateticos, quatenus est actuabilis (date veniam verbis) id est, quatenus est apta ad suscipiendum aliquem actum, sive perfectionem, per quam perficiatur, & actuatur, & hoc respectu ex mente Aristotelis, motus quoque dicitur actus, quatenus per motum corpus mobile actuatur, & perficitur,

ficitur, sive ex statu potentiae in statum actus transfertur. 2. quod est actus generabilis, est etiam mobilis, cum generabile, & mobile, juxta Aristotelem, non nisi ut genus, & species distinguantur. Generatio enim, corruptio, alteratio, augmentatio, diminutio, & latio, variae ipsi motus species sunt. Si igitur forma est actus materiae, ut generabilis, erit etiam actus materiae, ut mobilis, proindeque firmum manet, & inconcussum, definitionem motus, prout ea est tradita ab Aristotele, communem etiam esse formae. *Quod erat demonstrandum.*

11. *An Quies Motui sit contraria?*

Resp. Contrarietas duplex est, alia formalis, alia vero physica: quando igitur quietem dicimus esse contrariam motui, utramque intelligimus contrarietatem: nam non solum alia est definitio quietis, & alia est definitio motus, quæ definitionis diversitas propriè constituit contrarietatem formalem, cum definitio, sit veluti forma definiti, sed etiam se mutuo illa planè corrumpunt, & destruunt.

12. *An Quies, vinculum sit partium durorum, & continuorum corporum?*

Resp. Quæstio valdè vexata est, Quodnam sit id, quod partes corporis duri, & continui uniat: quam quæstionem, dum in doctrina de Compositione Continui tractant Peripatetici, fateri ipsi necessum habent suam inscitiam, & ignorantiam. Hinc querulatur *Franciscus le Rees*, disputat. 3. in *Physic. de Continuo*, exclamatque. *Moneo, nos in eam Naturæ caliginem descendere, in qua vix affulgeat Pharos rationis: hic Scyllas incurrimus, & Charybdes, eorum etiam infames naufragij, qui multis retrò seculis, sapientiæ nomine claruerunt.* Solent tandem hīc ad formam specificam recurrere, eique hoc officium assignare, quod partes uniat, conjungatque. *Atomorum verò patroni*, non quidem omnes, plerique tamen, vinculum volunt esse corpuscula quædam indivisibilia realia, quod potissimum ex eo probant, quod omne continuum dicat partium copulationem, & unionem: partes verò, *inquiunt*, debent medio aliquo uniri, ac termino aliquo co-

pulari : Hic autem terminus copulans non est aliquid divisibile : nam sic etiam esset continuus : omne enim divisibile est continuum : ac proinde alio iterum termino copularentur ejus partes, qui terminus si iterum esset divisibilis, iterum quoque esset continuus : sicque progressus daretur in infinitum : oportet igitur, ut terminus ille copulans sit aliquid indivisibile, nempè *Atomus*. Ita discurrentem vide *Cl. Adrianum Heereboord, disput. Philosophicâ de Composit. Continui, Append. Volum. I. pag. 770.* Experientissimus *S. Basso*, vinculum partium in corpore continuo putat esse Spiritum quendam communem per omnia effusum, qui inter corporum particulas fese sua subtilitate incredibili insinuat. *Subito magna lux, inquit, nobis refulsi, ut videremus, quid sit illud vinculum, quo Mundus hic extam diversis rebus constans, unus tamen sit. Siquidem hic Spiritus per omnia diffusus, rei cuiusque pars est melior, ac nobilior, & secundum quam omnia sunt unum*, lib. de Natura, intent. 3. art. 2. p. 306. Nos Quietem, unicum vinculum dicimus esse, quo partes corporis duri, & continuum inter se cohærent, suæque separationi resistunt.

Cum

Cum enim cunctis separatio non nisi per motum fiat, ut ad oculum videmus in separatione duorum afferum; quies autem ipsi motui quam maximè adversa, & contraria sit, hinc partes, quo validius quiescunt, eo firmius quoque inter se cohærent, neque facilè, nisi à fortiori, & valentiori motu separantur: nam duo corpora semel in statu quietis posita, tamdiu in eo perseverant, donec à motu extrinseco fortiori, inde deturbentur. Et ratio, atque experientia quoque confirmant, quod ea corpora, quæ partibus, in statu quietis positis, constant, eo magis continua, & dura sint, quo partes illæ magis quiescunt: Quid magis continuum, & durum, quam vitra, metallaque? unde autem hoc? non certè aliunde, quam quod partes ipsorum firmissimè per quietem sibi invicem adhærent: cur vero aqua, oleum, corpora dura, & continua non sunt? non aliam ob causam, quam quia particulæ aquæ, & olei non quiescunt, vel per quietem sibi invicem adhærent; sed tum inter se repunt, tum quoque diversis modis agitantur. Et, quia frigus in corpore nihil aliud est, quam quies partium, hinc etiam corpora eo duriora, & magis continua esse solent, quo fri-

gidiora sunt, ut patet in Glacie, Vitris, Metallis, Lapidibusque. Attamen quia nullum corpus absolute secundum omnes suas partes in statu quietis est positum, ideo etiam nullum corpus absolute est durum, & secundū omnes partes continuum. Cur autem, nec *Spiritus communis Bassonis*, neq; etiam *Atomī*, sint partium corporis duri, & continui vinculum, causa est, quia cum partes illæ, quæ uniri debent, sint substantiæ, non minus per se ipsas iugis possent, quam per aliam substantiam: si namque sint tria corpuscula. A. B. C quorum medium B. unire possit. A. cum C. nulla ratio esset, cur non & A. cum C. unire se posset sine B. nam antequam B. corpusculum A. cum C. uniat, & jungat, oportet ut primo se uniat cum A: ratio autem illa, quare B. se unit immediatè cum A. quæ alia est, vel esse potest, quam qua A. se uniret cum C. ? nihil enim in B. reperitur, quod non etiam reperitur, vel reperiri potest in A. Substantianè B. est? at & A. substantia est. Estne B. corpusculum insensile: at & A. tale est: quiescitne B. at A. quoque quiescit, vel quiescere præsupponi potest: Et quomodo corpuscula aliqua indivisibilia, *Philosophi isti* statuere

tuere possunt vinculum partium in corpore continuo, cum ipsi doceant, corpora continua non esse nisi congeriem atomorum, sive corpusculorum indivisibilium: undè proinde necessario, ex ipsorum doctrina, consequens foret, corpora continua non esse, nisi vincula, nihilque esse in istis corporibus, quod vinciretur, sive uniretur: quod perinde est, ac si dicerent, corpus continuum non esse continuum: nam ubi non nisi vincula sunt, nullæque partes, quæ uniuntur per illa vincula, ibi etiam corpus continuum esse nequit.

i3. Ant tantum Actionis requiratur ad quietem, quantum ad motum?

Resp. Vulgus Philosophorum existimat, corpora semel mota, sponte sua, atque ex spontaneo actionis defectu, redire ad quietem; Verum qui considerat, quod non majori utantur actione nautæ ad navigium, in aqua stagnante, quiescens impellendum, quam ad idem, quando movetur, subito retinendum, atque ad quietem reducendum, facile concedet quoque, tantum actionis requiri ad quietem, quam ad motum.

Quod tamen, ut accuratè intelligatur, distinguendum sedulò est initium motus vel quietis, ab eorundem continuatione. Itaque sicut motus introduci nequit in id, quod quiescit, nisi per actionem extrinsecam, quæ corpus in statu quietis positum transferat in statum motus: ita quoq; quies in corpus, quod movetur, introduci nequit, nisi per aliquam actionem, quæ motum corporis moti sistat. Si enim sint duo corpora æque magna, quorum alterum validissima quiete quiescit; alterum verò validissimo motu movetur, evidens est, æqualem requiri actionem, tum ad corpus quiescens in statum motus transferendum, tum ad corpus motum, ad quietem reducendum: Attamen corpus semel jam in statu quietis positum, nulla indiget actione ad suæ quietis continuationem: sicut quoque nec illud corpus, quod in statu motus est positum, actione nova indiget ad motum suum continuandum.

C A P U T VII.

De Situ, Figura, & Magnitudine.

P R A E C E P T A.


1. *Situs, est certa corporis inter corpora positio.*
2. *Figura est Magnitudinis, sive certæ extensionis terminus.*
3. *Magnitudo est certa extensionis determinatio, ac mensura.*

Q U A E S T I O N E S.

1. *An Situs, Figura, & Magnitudo in corporibus aliquam efficaciam habent?*


Reſp. **P** Utant nonnulli, Magicum esse, si Situi, Figuræ, & Magnitudini efficacia aliqua, atque vis ascribatur, eo quod illa, siquidem à Materia fluant, quæ principium est passivum, non nisi passivè se habere possint. Verùm illa satis esse efficacia, si satis justa, & convenientia sint, siue debitus quoque, ac sufficiens ipsis adhibeatur

motus, manifestum est ex plurimis exemplis, quæ hanc in rem adduci possent, si instituti nostri ratio permitteret: unum tamen & alterum adducemus, in *Romana* (quod instrumentum in Gallia, Italia, & Hispania usurpatur, quoque rerum venditarum pondera justa explorantur) pro varia positio-
ne, & situ ponderis 3. *vel* pondus 2. in A. appensum in æquilibrio stat cum pondere 3. si scilicet à B. æqualiter distent: *vel* attol-
litur, si nimirum 3. aliam accipiat positio-
nem, sive, si vel in D. vel in E.F.G. aut H.ap-
pendatur: tunc enim tot proportionibus 3.
præponderabit 2. quot gradibus 3. longius
à B. distat, quam 2.



Et hæc ratio etiam est, cur pro varia posi-
tione, & situ manus ad partes baculi, saxum
vel

vel facilius, vel difficilius attollatur : si enim manus situetur in A. saxum facillimè, si in B. situetur, minus facile ; sed si in D. situetur, difficile attollitur, atque elevatur.



Quantum quoque justus, & conveniens *seminum situs* in generatione valeat, colligi potest, non solum ex eo, quod interdum ex sanorum animalium semine non concipiatur (quod certè non alia de causa oritur, quam ex defectu justi, & debiti situs feminis, vel masculæ potius, sive portiunculæ alicujus specialis in semine) sed quoque ex eo, quod ex ovo, minimâ agitatione quassato, nullos unquam pullos excludi, experientiâ teste, comperiatur. Quid *Figura* posfit, patet exinde, quod ferrum, in gladium, vel cultrum figuratum, & satis validè motum, corpora durissima fecet, scindat, atque

que in partes dividat ; quod antequam in cultrum , vel gladium figuraretur , efficere non valebat , licet vel validissimè moveretur . Quid denique *Magnitudo* debita , & justa valeat , & quomodo corpora , pro varia magnitudine , quam habent , vel acquirunt , potentiam suam magis , vel minus exerant , notius est , quam , ut ostendi necesse est . Ex his nunc constat , & clarè liquet , quām falsum sit , quod Peripatetici doceant , hæc à nobis enumerata , non solum nullam vim habere , sed cætera quoque , Motum nempe , & Quietem , agere & efficaciam suam tantum habere in virtute substantiarum : cum potius è contra , substantia corporea , sive iners illa Materiæ moles , omnem suam vim , & efficaciam exerceat in virtute *Motus , Situs , Figuræ , & Magnitudinis* : Hæc enim , si à materia abessent , in perpetuo otio sine ulla vel minima actione existentiam suam continuaret : nam non ex se , & propria sua essentia , atque vi , actionem aliquam elicere potest (hoc enim non substantiæ extensæ , sive materialis , sed intellectualis proprium est) neque etiam à forma aliqua substantiali , quæ nulla datur , ad eam incitari potest : Quod igitur agat , efficaciamque

que aliquam exerceat, id in totum debet Motui, Quieti, Situi, Figuræ, & Magnitudini.

2. *An præter Motum, Quietem, Situm, Figuram, & Magnitudinem, alia quædam accidentia, quæ realia sunt, & realiter ab ijs distinguantur, dentur?*

Resp. Peripatetici non solum in eo à nobis dissentunt, quod negent, Motum, Quietem, Situm, Figuram, & Magnitudinem, constituere formam omnium rerum materialium ; sed etiam in eo, quod præter dictos, & à nobis explicatos Materiæ modos, multa alia doceant dari accidentia realia, sive qualitates patibiles, tum manifestas, tum occultas : quas omnes à forma substanciali originem trahere afferunt : Non omnino quidem negamus dari qualitates patibles, ut lucem, & colores, sonos, sapores, calorem, & frigus, gravitatem, & levitatem, duritatem, & mollitatem, &c. Sed dicimus, eas non esse accidentia, vel potius modos, distinctos ab iis, qui jam à nobis explicati sunt, quique à nobis pro forma corporum, & pro

& pro modis materiae habentur, cum ad eos
omnia reduci possint, atque a nobis quoque
in parte speciali hujus Clavis reducetur. Et,
si accidentia illa, essent entia realia, & reali-
ter a subiecto suo distincta, necessario quo-
que separatim absque omni subiecto sub-
sistere possent (ratio est, quia quicquid est
reale, & realiter ab alio distinctum, separa-
tum extra illud existere, & subsistere potest:
Atque hinc est, quod Mens nostra absque,
& extra corpus existere possit, quia nempè
reale ens est, realiterque a corpore distin-
cta est: ut mirum sit, quod nunc obiter no-
to, Peripateticos negare, Formas substanciales
separatim a materia subsistere posse,
cum tamen ipsi doceant, eas a materia rea-
liter distinctas esse.) sicque non tam acci-
dentia; quam substantiae forent: quod est
contradictorium. Quantum autem ad qua-
litates occultas, concedimus quidem ea cum
aliquas respectu nostri dari: quis enim par-
ticularia quævis effecta, & operationes sin-
gulas novit, cognitasque habet? attamen
illæ tales sunt, ut explicari queant ex prin-
cipiis illis, quæ a nobis explicata sunt, sicut
etiam per eadem illa principia, multæ, quæ
aliquot annos fuerunt qualitates occultæ,

mani-

manifestæ redditæ sunt ; quales imprimis sunt, *Fluxus, & refluxus Maris* : ut & *vis Magnetis, qua illa ad se pellit ferrum.* Nec dubitamus , quin eorundem ductu plures adhuc aliæ, quæ nunc nobis occultæ sunt, Veritates detegentur : nullæ namque qualitates ostendi possunt , quarum forma, & natura in principiis nostris non consistat, quæ cum facilia, clara , & cuivis non manifesta sint, non possumus non aliquando per ea , in earum cognitionem peryenire : ut falsum sit, quod *Cl. Kyperus, lib. 2. institut.*

Physic. c. 6 §. 21. q. 2. p. 453. docet, dari nempè qualitates fundamentaliter occultas, id est, *ut ille explicat*, ad quarum cognitionem nos pervenire non possumus : ratio autem illa, quam addit, quod nempè ideo, qualitates fundamentaliter dentur occultæ, quia ipsarum causa, quæ, juxta ipsum , partim est *idiosychegia*, partim uniuscujusque forma, exactè nota non est, evincit quidé, dari tales qualitates respectu ipsius ; sed non respectu nostrûm, & eorum, qui talibus manifestis utuntur principiis, quæ omnibus qualitatibus applicari possunt : Et, si forma, vel *idiosychegia* in causa sint , cur qualitates quædam dentur fundamentaliter occultæ, omnium

omnium elementorum singulæ qualitates,
occultæ dici debebunt, quia fatetur ipse,
& cum eo omnes Peripatetici, nullam for-
mam, præter Mentem humanam, esse ex-
acte cognitam: quæ ergo qualitates erunt
manifestæ? num fortè quedam dantur qua-
litates in corporibus, quæ neque à forma,
neque ab *ἰδεοντικαίᾳ* originem trahunt?
non facilè hoc vel *Kyperus*, vel cæteri Pe-
ripatetici affirmabunt. Quis itaque mécum
non judicet, & sentiat, Peripateticorum
Physicam, non nisi farraginem quandam
innumerarum formarum incognitarum, &
qualitatum occultarū esse? Et qui attentius
considerat, quam planè non, intimam natu-
ram earum qualitatum, quas illi manifestas
appellant, explicet, facilè etiam nobiscum
judicabit, omnes ipsorum qualitates mani-
festas, revere esse occultas: quis enim Peri-
pateticus, intimam coloris, caloris, frigoris,
luminis, duritiei, mollitiei, &c naturam ex-
plicuit unquā? nam ad caloris naturam (ut
de cæteris nunc nihil dicam) explicandam,
non sufficit dicere, eum esse qualitatem,
quæ calefacit: ita enim ignotum per æquè
ignotum, & obscurum per æquè obscurum
explicatur: hoc enim queritur, quid sit ca-
lor,

Ior, quidque calefactio, & in quo utriusque formalis, & intrinseca essentia consistat: quando autem aliquis Peripateticus respondet: Calor est qualitas calefaciens, idem hoc est, ac si responderet, Calor est qualitas, quæ calor est, nisi hoc velit inter calorem, & caleficere ponere discrimen, quod calor sit *nomen*, & caleficere, *verbum*; sed discrimen hoc tantum grammaticum est, quod nullum discrimen in natura ponit.

C A P U T VIII.

De Natura.

P R A E C E P T U M.

Natura, est agendi, patiendique principium internum, ac corporeum.

Q U A E S T I O N E S.

1. An Naturæ adscribenda cognitio?

Resp. **C**ur hoc loco agamus de Naturæ, causa est, quod in superioribus egimus de Materia, & Forma seorsim, quæ nunc, ut unita, & simul sumta, nomine Naturæ

turæ consideranda veniunt: regula namque logica est, quod à simplicibus oporteat ad magis composita progredi. Quantum autem ad quæstionem supra positam, notandum, quod Cl. Sperlingius, lib. 1. institut. *Physic. cap. 6. de fine, q. 2. p. 215.* triplicem faciat cognitionem, 1. *naturalem*, 2. *sensualē*, & 3. *intellectualē*. Naturalem attribuit plantis, omnibusque rebus inanimatis, quas docet fines suos per eam cognitionem naturalem cognoscere. Sensualē assignat bestiis, ut cani, equo, asino. Rationalem denique, homini tribuit. At cum duo tantum sint summarerum genera: aliud rerum intellectualium, sive cogitativarum, *hoc est*, quæ ad Mentem, sive ad substantiam cogitantem pertinent; aliud extensarum, vel materialium, id est, quæ pertinent ad substantiam extensam, sive corpus, quomodo plantæ, lapides, metalla, bestiæ, cæteræque res extensæ, cognitione aliqua præditæ esse possunt? cum earum essentia consistat tantum in Extensione, motu locali, quiete, situ, figura, & magnitudine: quæ certè nihil faciunt ad cognitionem: neque enim nexus, aut affinitas inter hanc, & illa, id est, inter cognitionem ex una parte, & inter

inter Extensionem, motum, quietem, situm, figuram, & magnitudinem, ex altera parte fingi potest. Perpetua veritatis regula est, nihil esse in rebus philosophicis judicandum, nisi clarè, & distinctè perceperimus. At nec *Sperlingius*, nec cæteri, qui in hac quæstione cum ipso faciunt, clarè & distinctè perceperunt unquam, quid illa cognitione naturalis, & sensitiva sit, & in quo consistat, ac in quo ab intellectu diversa sit: nam si claram istius cognitionis perceptiōnem unquam habuissent, eam quoque clarè, & distinctè explicuissent, vel saltem explicare debuissent. Nos interim ita argumentamur: Si plantis, & lapidibus cognitione naturalis, & in brutis cognitione sensualis datur, esset illa vel cum discursu, vel sine discursu. Sed neutrum dici potest. Ergo non datur talis cognitione. Minor probatur: nam si illa cognitione esset cum discursu, tunc syllogismos ne ceterent, & facerent plantæ, lapi-des, & bestiæ: quod absurdum, cum solis intellectualibus id concessum sit. Videntur tamen *Conimbricenses*, quando, lib. 2. cap. 9. quæst. 4. art. 2. pag. 428. modum describunt, quo hirundo suum opus conficit, & perficit, hirundini in formatione sui operis,

aliquem discursum , si non formalem , qui explicito syllogismo constat , attamen virtualcm , & implicitum attribuere : ita enim loquuntur . *Hirundo intuetur lutum ; dein ex intuitu , imaginem illius admittit inphantasiam ; tum aestimat conveniens id prehendere , & deferre versus hunc , aut illum locum : subinde , præhabito etiam qualicunque judicio , lutum certo modo componit , rursum aliud similiter ad eundem locum confert : sicque paulatim nidum fingit . Atque ex hoc progressu intelligi potest , hirundinem nec innatam speciem requirere , nec sine specie in opere versari . Adde etiam , nec illi necessarium esse aliquod futuri operis exemplar , ab initio impressum . Nec enim oportet , ut priusquam nidum conficiat , quo pacto totus nidus efformandus sit apud se statuat , sed ut dum singulas lut i particulus applicat , phantasia ei sigillatim dicit , ut unam alteri sic annexat . Si autem illa cognitio sine discursu esset , h. e. si res materiales non cognoscerent objectum suum , mediante termino medio , sive aliquo notiore , quo in notitiam ejus , quod minus notum est , pervenire solemus , sequeretur , eam intuitivam esse . At quid hoc foret aliud , quam inanimatorum bestia .*

bestiarumque cognitionem transformare in divinam: cum Dei proprium sit, intuitivè, sive immediata perceptione, objecta quælibet cognoscibilia cognoscere. *Objiciunt* quidem nonnulli, & regerunt, ideo dandam cognitionem naturalem, & sensitivam, quia datur in inanimatis, & brutis appetitus, tum naturalis, tum sensitivus, sed egregiè petunt principium: tam enim negamus appetitum naturalem, & sensitivum in rebus merè corporeis, quam cognitionem naturalem, & sensitivam. Neque exempla illa sympathiæ, quæ plurima ab autoribus solent adferri, probant ullum in rebus corporeis dari appetitum: nam quo pæto guttulæ aqueæ in orbem se cogant, ferrumque magneti suavi complexu, ut cum illis loquamur, adhærescat fine ullo vel appetitu, vel cognitione, suo docebimus loco, ubi hæc, & cætera alia referemus ad corporeos motus, quietem, situm, figuram, & magnitudinem, omnis profecto appetitus expertia; *Quod si quis quærat, unde error hic*, qui multorum, etiam clarissimorum Philosophorum, animos occupavit, fluxerit, ei respondemus, erroris hujus præcipuam causam esse præjudicium illud. *Infan-*

tiæ , quod homines ab ineunte ætate in se
observantes cognitionem cum corpore
conjunctam esse : ita ut quoties moveren-
tur membra, toties ferè perceptionem , &
cognitionem , occasione corporei istius
motus, ipsi in se experirentur, dum in aliis
rebus similes quosdam motus conspice-
rent, existimarunt quoque iis cognitionem
aliquam conjunctam esse. Huic accedit a-
liud præjudicium, à præceptoribus pueritiae
nostræ haustum : nimirum simul ac illi no-
bis, vix è pulvere scholastico egressis, prin-
cipia corporum naturalium explicarent,
docuerūt nos, ea, duo imprimis esse, unum,
Materiam, alterum, *Formam*, & hanc qui-
dem à materia ita distinctam esse, ut sub-
stantia planè immaterialis sit : Unde ulte-
rius nobis instillarunt eam, ob nobilitatem,
& excellentiam suæ substantiæ, nobilissima-
rum quoque operationum , cognitionis ,
nempè & appetitus, autorem esse. Et sanè,
hoc semel admisso præjudicio , formas esse
substantias immateriales , non potest quin
viciissim statuatur, eas cognitione, percep-
tione , cognitioneque præditas esse , quia
operationes illæ ita cum immaterialitate
substantiæ conjunctæ sunt, ut ab ea, ne ad-

momentum abesse possint. Hinc Scaliger, exercit. 6. in Cardanum formæ isti, quæ corpus humanum format, Sapientiam, & Intelligentiam non dubitat attribuere, *Hæc, inquit, fabrica fit aut à substantia, aut ab accidente, aut ab utroque.* Non ab accidente solo. Primum, quia nullum accidens agit, nisi per vim suæ substantiæ. Deinde, quia nullum accidens cognoscit, illa verò virtus, tam nobilis templi architecta sapien-
tissima ab omnibus Philosophis judicata est. Ædificabitur igitur à substantia. At hæc forma seminis est. Sane seminis forma si non est anima, bruta res est. Et si fabricat, est æqualis animæ. At incrementis, & amissiæ carnis repositione opus illud animæ est. Erit igitur in semine anima formatrix antecedens animam, cui parat illud domicilium. Quare prior illa posteriore hac sapientior, & nobilior. Quemadmodum nos anteit potestate, ac sapientia Creator O. M. qui nostra hæc utenda nobis dedit. Oportet enim fabricatricem illam non ignorare, quid, & quantum opus habeat illa altera ingressura. Ergo cum Cor ædificat, scit, quid sit vita, cum alias molitur partes, notum habet eorum partium finem, & usum.

2. *An Natura sui sit conservatrix?*

Resp. Nihil ferè magis tritum, & vulga-
re est in scriptis Philosophorum, quam, Na-
turam sui esse conservatricem. At pauci hoc
effatum vel benè intelligunt, vel benè ex-
plicant. Nos hoc effatum, & axioma coin-
cidere dicimus cum communi, & generali
illa Naturæ regula: quod nempè, *Unaquæ-
que res, quatenus est simplex, & indivisa,
quantum in se est, (absque tamen notitia ul-
la) in eadem semper magnitudinis, figuræ,
situs, motus, & quietis, omnium suarum af-
fectionum, & perfectionum statu permaneat,
neque mutetur, nisi à causis extrinsecis. Un-
dè manifestum est, *impropriè* hoc vocabu-
lū, **CONSERVANDI**, adhiberi, quia illud non
nisi rebus, intellectu, & cognitione prædi-
tis, propriè competit. Male igitur illi, qui,
*ex eo quod Natura sui dicitur esse conser-
vatrix, colligunt Naturam per aliquam cog-
nitionem se conservare: cum tamen istius
axiomatis, nullus aliis sit sensus, quam à
Deo. O. M. eum ordinem in Natura consti-
tutum esse, ut singula corpora absque omni
notitia, vel etiam appetitu (qui, ut quæstio-
ne**

ne i. demonstratū, rebus materialibus convenire nequit, eo quod earum essentia in solā consistat extensione, motu, quiete, situ, figura, & magnitudine) sic moveantur, vel quiescant, vel agant in se invicem, juxta certas naturales regulas, ut, licet accurata notitiā essent prædita, neque majori cura status suos tueri, & resistere causis extrinsecis, neque meliori ratione sese impugnare, & de statu uno ad alium deturbare possent: Sicut hoc colligerelicet ex *cap. 6. de motu*, ubi de causa particulari motus ex certis particularibus Naturæ regulis differuimus.

3. *Quid de definitione Naturæ Aristotelica judicandum?*

Resp. Aristoteles, 2 Physicorum cap. 1. text. 3. Naturam definit, quod sit principium, & causa motus, ac quietis, ejus, in quo inest primo, per se, & non per accidens: Quamvis autem hæc definitio commodam admittere possit interpretationem, sicut multa quoque alia in scriptis Aristotelis, instar nasi cerei, fletri possunt in eam, quam quisque amat, partem, quia tamen ea ambiguis valde constat verbis, & nonnullis sca-

tet *μυηλογίας*, meritò eam rejicimus: & quidem eo magis, quod ipsi *Peripatetici* de singulis vocibus, & particulis, ob summam earum obscuritatem, & ambiguitatem, singulas ferè controversias moveant. *Quærunt enim.* 1. an voces illæ, *principium*, & *causa*, generis loco positæ, idem significent? Alii voce principii, causam efficiētem solam denotari putant, causæ vero nomine, materiam: nonnullis videtur nomen principii significare materiam, & formam: causa vero finem. *Pererius, lib. 7. princip. rer. nat. c. 4.* Unum prorsus, & idem significare afferit: *Wendelinus* existimat, Naturam dici causam, ob formam potissimum, & principium, ob materiam, ne, solius causâ mentione facta, à definitione Naturæ, materia excludi videatur. 2. An Natura, prout ab *Aristotele* definitur, sit res quædam absolute, an relata? *Wendelinus* putat, Naturam rem esse absolutam, negant tamen hoc alii. 3. An Natura sit principium motus, & quietis activum tantum, an passivum tantum, an activum, & passivum simul? *Avicenna* contendit, Naturam non nisi principium activum esse. *Cæsalpinus* vult eam tantum principium passivum esse, respectu tamen for-

mæ, quam materiæ. *Zabarella, lib. de Nat. c. 7.* principium activum, & passivum esse disputat; sed secundum formam. Plerique tamen ex ipsis docent, Naturam esse principium passivum respectu Materiæ, activum respectu formæ. 4. Utra magis sit natura, materia, an Forma? *Claudius Berigardus, sub persona Aristæi, Circulo 5. p. 37.* Formam tantum naturam esse, existimat, vultque verba illa Aristotelis, οὐ μάλλον φύσις αὐτὴ τῆς φύσης, non esse vertenda (*& magis natura hæc est, quam materia.*) Sed legendum esse (*& potius natura hæc est, quam materia*) ita ut sensus sit, *inquit*, Naturam esse substantiam ea ratione conformatam, ut sit principium motus efficiens: alii formam quidem magis esse naturam docent: ita tamen, ut materia non excludatur. 5. An. vocula, ET, sumenda sit copulativè, an disjunctivè, id est, an natura sit principium motus, & quietis simul? an motus, vel quietis? aliqui docent, disjunctivè, esse accipiendum, ut *z* ab Arist. pro *z* sit positum: *Fonseca* nec copulatum tantum, nec disjunctum tantum agnoscit, sed partim disjunctum, partim copulatum. *Wendelinus* particulam *Et*, sumit copulativè, ita ut natura sit principium

pium & causa motus, ac quietis simul, non tamen eodem tempore; sed successivè: Et quæ plura hic otiosè, & cum tædio movent Aristotelis discipuli: volui autem hæc ideo adjicere, ut viderent veritatis amantes, quam incerta, & dubia omnia sint, quæ ab Aristotelicis traduntur, quam nihil sit in Aristotle quod non & hic, & ubique interpretum dissentientium stylo laceratur.

C A P U T I X. E T U L T I M U M.

De Loco, & Tempore.

P R A E C E P T A.

1. *Locus, est affectio corporis naturalis, qua illud dicitur esse in loco.*
2. *Estque vel internus, vel externus.*
3. *Internus, nihil aliud est, quam respectus quidam situs superficiei corporis ad aliud corpus sive vicinum, sive remotum.*
4. *Externus, est superficies, quæ proximè, & immediatè locatum ambit.*
5. *Tempus, est affectio corporis naturalis, qua duratio illius in se indistincta, men- su-*

*suratur juxtam otum Cœli, vel Terræ
cira Axem circumgyratæ.*

6. *Estque, vel præteritum, vel præsens, vel futurum.*
7. *Præteritum, est tempus, quod fuit:*
8. *Præsens, est tempus, quod est.*
9. *Futurum, est tempus, quod erit.*

Q U A E S T I O N E S.

1. *Quæ loci interni, & externi genuina sit explicatio?*

Resp. **D.** *Kyperus lib. I. inst. Phys. p. 293.*
negat Locum vel internum, vel externum esse ; Sed error oritur exinde,
quod mentem eorum Philosophorum, qui ita locum diviserunt, non benè intellexerit : Non enim ideo Locus dicitur internus,
quod sit ipsa extensio, sive, ipsum corpus
absolutè consideratum ; sed quod sit ipsius corporis, quod in loco esse dicitur, situatio ad aliud corpus, sive, quod perindè est,
quod sit respectus situs superficie i stius corporis, quod in loco esse dicitur, ad aliud corpus : sic qui in Musæo sedet, dicitur esse in loco interno, quatenus nimirum situa-
tur

tur ad latera, sive parietes Musæi, sive ad alia corpora, quæ ut immobilia spectantur. Et quo corpus est majus, vel minus, quod ad aliud corpus situatur, eo etiam corpus majorem, vel minorem locum occupare dici potest : Dicitur quoque unum corpus occupare locum alterius corporis, quantum ejusdem est cum corpore, locum deserente, magnitudinis, & figuræ, eundemque situm, quem prius illud corpus habuit, inter corpora vicina, acquirit : ita si globus A. qui situm habet inter duos palos erectos, locum suum deserat, dicetur globus B. si quoque ejusdem, cum priore globo, figuræ & magnitudinis sit, siue eundem inter illos palos erectos situm acquirat, locum globi A. occupare : quamvis *Vulgus* hodiè hoc non ita accuratè observet. *Vulgus* enim existimat tunc unum corpus alterius corporis locum occupare, quando acquirit eundem situm, licet non sit ejusdem figuræ, & magnitudinis. Cum autem unum Corpus, situm potest habere inter diversa Corpora, quorum unum remotius, alterum propinquius est : hinc idem Corpus, eodem tempore, dici potest locum mutare, & locum non mutare. Sic qui curru in *Sylva* vehitur,

tur, locum non mutat, quatenus semper unum & eundem situm inter latera currus servat, dicitur tamen locum mutare, quatenus continuo situm ad arbores, deserit, si-
ve, quatenus ab una arbore recedit, & ad aliam accedit. Non autem novam esse no-
stram sententiam, à paucisque nuper de-
mum defendi solitam, qua statuimus, Lo-
cum non esse, nisi situationem superficieū u-
nius corporis ad aliud corpus, probari pos-
set exemplis clarissimorum Theologorum,
& Philosophorum: Omnia instar erit *B. Balthasar Meisnerus*, Theologus acutissi-
mus, & ob divina ipsius scripta undiquaque celeberrimus: fremat licet orbis, & orcus.
Ita autem ille, *Philos. Sobr. sect. 3. quæst. I. Phys. p. 453.* In eam deveni cogitationem
Locum non esse ens quoddam absolutum, ut
quantitatem, vel superficiem; sed relatum
secundum esse, & NIL notare aliud, quam
EXTENSIVAM SITUATIONEM CORPORIS, relatam ad aliud corpus
vicinum, vel contiguum, & pag. 454 circa
medium. Unde apparet luculenter, locum
NIL esse aliud, quam corporis ad corpus
situationem. *Locus* verò *externus*, non Pe-
ripatetico sensu à nobis dicitur superficies,
quæ

quæ locatum ambit : illi namque per superficiem intelligunt corporis ambientis partem , cum tamen locus neutquam esse possit substantia : quid , quod si illa superficies esset locus , tum turris , immota licet existens , locum tamen suum mutare dicideret , quoties scil. aër turrim ambiens mutaretur . Sed quando nos locum dicimus esse superficiem , intelligimus per superficiem , non nisi terminum , qui medius est inter corpus ambiens , & id , quod ambitur , quique nihil aliud est , quam utriusque corporis , tam quod ambit , quam quod ambitur , modus : potestque hic modus manere , quamvis ista corpora tollantur , modò tantum alia , quæ sunt accuratè ejusdem magnitudinis , & figuræ in ipsorum loca succedant : Nec *Aristotelem* hic à nobis dissentire putamus (quamvis enim auctoritatem ejus non maximopere curamus , ubi à Veritatis via deflectit , nolumus tamen iis in locis eam rejicere , & aspernari , ubi in VERITATE fundata est .) Nam postquam *I. 4. Physic. c. 4.* Locum definitivisset , quod sit Superficies Corporis ambientis , mox , in fine *ejusdem capit. clarius aperit* , quid per superficiem intelligat , nempè

nempè *Terminum*, qui & ambienti, & ei, quod ambitur, simul, sive, una est. Sic enim ipse differit l. c. η δια τὸν δοκεῖ πίπερον εἶναι, η σίσιον αὐγέσιον ὁ τόπος, η ωξείχων. ἐπὶ ἀμφα τῷ περάγματι πως θεῖται τόπος. ἀμφα γὰρ τῷ περάγματι πίπερον εἶναι. id est. Et propterea locus, superficies quedam, & quasi vas, continensque esse videtur. Insuper & locus simul est quodammodo cum re ipsa. Simul enim sunt ipsi terminato termini.

2. An locus sit spatium?

Resp. Scaliger Locum, vacuum aliquod spatium esse voluit; sed tamen quod corpore esset plenum: ita putabat aquam in vase contentam, non nisi in aliquo spatio esse eiusdem planè extensionis, quoad longitudinem, latitudinem, & profunditatem cum ipsa aqua; Verum si locus, tale spatium extensum esset, Materia esset nam omnis extensio materia est, at si materia, jam corpus, cum jam illud diceretur esse in loco, esset in materia, quod absurdum. Sic enim penetratio dimensionum daretur. Et (ut secundum proprias *Scaligeri*, ejusque sequacium, hypotheses argumentando progrediar) si locus est spatium, vel erit sub-

stantia, vel accidens : si substantia, vel materialis, vel spiritualis ; sed neutrum ipsi facile dicent : Ergò erit accidens : At quale ? Quantitas ne ? sic respondet Cl. Sperlingius. Verum tunc locus, subjectum deberet habere, cui inesset ; at quale hoc ? num corpus ? at putabam corpora esse in loco , non verò locum in corporibus. Adde, quod secundum ipsos, Quantitas, affectio intrinseca Materiæ sit, si igitur Locus esset quantitas, etiam intrinsecè in aliqua materia foret : Sed quia totum hoc negotium dependet à doctrina de vacuo , ideo sequente quæstione, hac de refusius agemus.

3. *An Vacuum detur?*

Reſp. Non dari, nec dari posse vacuum patet ex eo , quod contradictionem implicat: esset enim hoc vacuum, corpus, ut potest extensum in longum , latum , & profundum, & non esset corpus, quippe, ex hypothesi , corpori contradistinctum. Nec vacui possilitas inferri ex eo potest, quod annihilato ex musæo aëre, ut nullum aliud ingrediatur corpus, magnum ibi spatiū vacuum remaneat. Nam si hoc fieret, tunc non

non spatium vacuum in Musæo daretur ; sed latera ipsius Musæi forent contigua : ea enim dicuntur contigua, inter quorum extrema nihil interjacet. An autem actu detur vacuum, diversimodè *Vacui Defensores*, explicant. *Baco, Philosoph. natural. cogitatione 1. de natura rerum pag. 294.* utrumque vacuum, tam coacervatum, quam commixtum propugnat. *Hero*, inquit, *quia hic apud nos in nostro orbe vacuum coacervatum non reperit, ideo illud simpliciter negavit : nihil autem impedit, quo minus in regionibus Ætheris, ubi procul dubio majores sunt corporum expansiones, etiam vacuum coacervatum sit.* *Guilielmus Gilbert. lib. I. Physiolog. c. 20. p. 48. 53.* pariter admittit vacuum coacervatum, quod tamen ille peculiari nomine separatum vocat. *Omnino igitur, inquit, aut est vacuum statim ultra limites aëris, qui non extenduntur, nisi ad 5. 6. aut 10. milliaria, aut aliud corpus longè ab elementis diversum ; sed cum aliud nullum nemo unquam finixerit, nec fingi possit, restat, ut sit vacuum.* *Clariss. Kyperus lib. I. inst. Physic. c. xij. pag. 307.* *Phocylides in Physica Veteri-Nova c. xij. p. 27.* et si secundum naturalem statum tantum vacuum,

quod naturæ unitatem interrumpat, non statuunt, admittunt tamen in mundo aliquod vacuum, etsi non magnum, tamen exiguum. Utitur *hic* ad tale vacuum probandum, dupli argumento : quorum alterum à figuris atomorum irregularibus est desumptum : alterum à raritate, quæ rebus intervenit naturalibus, quâque illæ densiores rarescere, rariores arctius compingi, & condensari animadvertisuntur. Putat ergò Atomos, quia figuris constant valde irregularibus, non posse ita uniri, quin spatiū aliquod vacuum relinquant. Sic, si tres, pluresve atomi sphæricæ figuræ, se mutuo tangant, Vacuum inter illas, interjectum esse, necesse est. *Reſp.* Concedimus quidem quod quatuor globuli, dum se tangunt, interdum relinquant in medio sui spatiū quadrangulare ; sed dicimus spatiū illud occupari à materia primi elementi, quæ omnia globulorum interstitia, & spatiola replet. *Sed major,* inquit, *videtur esse difficultas circa rarefactionem corporum :* nam *quod rarescere corpus aliquod non possit,* *quin vacuum intercipiatur, id videtur esse argumento,* *quod corpus rarescens majorem,* *quam prius, locum occupat, & circumvici-*
num

num è loco suo pellat : nam dum corpus est densum, ad æquatumque locum, seu spatiū occupat, aut plures erunt spatiij istius particulae, quam corporis, aut pauciores, aut præcisè totidem. Si plures, ergo aliquæ corpore vacant, jamq; sunt inaneſ, quod volebamus. Sin pauciores, tunc aliquæ corporis partes, sine loco erunt, aut se invicem penetrabunt : quod utrumque concedi non potest. Si denique præcisè totidem, rem iterum evicimus.

Reſp. Tota hæc difficultas facile tollitur, si modo, vera rarefactionis natura intelligatur: corpus enim rareſcens, majorem quidem occupat locum, quam prius, & circumvicinū è loco suo pellit ; sed ita tamen, ut alia corpuscula heterogenea, ejus subingrediantur interſtitia, eaque ad majus spatiū expandant. Sed, inquit, dici non potest, partes corporis circumvicinas subingredi : nam ut præteream, dici non posse, quid in Æolipylan incalcentem subingrediatur, esto aër ipſe liber, qui rareſcat, quæſo, quid possit aliud, quam aër ipsius locum subingredi ? si verò jam tantundem subingreditur, quantum rareſcendo diſflatur, eadem opera manebit utique densitas, atque adeò nulla fiet rarefaction. Resp. 1. quantum ad Æolipy-


Iam, quod frangi, & disrumpi ea debeat ob-
rarefactionem aquæ in ea existentis, nisi a-
perturam aliquam exiguum habeat; aqua e-
nī rarefacta, majus acquirit spatiū, quod
cum in *Æolipyla* non invenit, foramine ob-
turato, hinc eam disrumpit, sicque majus
spatiū sibi facit: idem illud fit quoque in
vasis obsignatis, & igni admotis: quæ iti-
dem ob eandem rationem rumpuntur: con-
trarium igitur ex his experimentis colligi-
mus, nempe, non dari vacuum. 2. quantum
ad alterum, resp. quod in rarefactione aëris,
ejus interstitia antea conjuncta, nunc verò
vi materię cœlestis ea ingredientis dilaten-
tur, in qua certè rarefactione aér non æquè
manet densus: cum in condensatione inter-
valla vel imminuantur, vel planè tollantur,
expulsis corporibus heterogeneis: in rare-
factione verò intervalla dilatentur ad ma-
jus spatiū. Videtur igitur *Phocylides* na-
turam rarefactionis non benè explicuisse.
Si, inquit, tantundem subingreditur, quan-
tum rarescendo difflatur, eadem omnino ma-
nabit densitas: at falsum est, corpus, quod
rarefit, difflari, cum maneat eadem corpo-
ris, quod rarefit, quantitas. *D. Kypereus* pro
vacuo, hoc potissimum urget. *Si vacuum*
non

non foret, non posset fieri motus, quia non haberet primum motum quo cederet. Resp. Nullus daretur motus, si motus fieret sine circulo. Prodiit An. 1648. in publicum *Valerianus Magnus, frater Capuccinus*, qui in *Tractatu suo*, cui Titulus; *Demonstratio ocularis Loci sine locato, corporis successivè moti in vacuo, luminis nulli corpori inhærentis*, id potissimum agere videtur, ut oculariter beneficio fistulæ vitreæ ostendat Vacui existentiam. Facti autem Historiam, pag. 76. Edit. Coloniensi An. 1652. ita describit. *Procuravi fistulam vitream, longam ultra cubitos duos, cuius canalis comodè excipiat pisum: crassities vitri est tanta, quanta est grani frumentacei: unum ejus orificium occlusi sigillo Hermetis, sive Vitro liquenti. Hanc fistulam implevi argento vivo, cuius orificium patens obturavi digito vehementer applicato, super quo orificio, eatenus obturato, erexi fistulam, quam immersi argento vivo, indito vasi congruo, quod vas erat pariter immersum vasi replete aquis, ita ut aquæ imminerent supra argentum vivum digitis quatuor. Hunc processum ter repetij, nec tamen eodem modo perfeci, quod cæperam. Prima vice resera-*

vi orificium infernum fistula erectâ, ac mersa Mercurio. Secunda vice reseravi illud ipsum orificium fistula erecta, & mersa aquis. Tertia vice, reseravi fistulam eodem modo extra Mercurium, & aquas in libererrimo aëre. Quid viderim oculis meis excipe, SERENISSIME, & admirare impensis. De obturato orificio infimo fistulâ erecta, & mersa Mercurio, is eodem momento suopte pondere præcipitatur per canalem fistulæ, salitque iterum ac desilit, & post nonnullas ejusmodi vibrationes inferior pars fistulæ, longior cubito uno, visitur plena Mercurio, superiorve creditur vacua ab omni corpore. Nam oculis nil aquæ in illis partibus cernitur. Aër verò non potuit subire aquas & Mercurium, & sursum penetrare fistulam: quapropter pars superior fistulæ est locus sine locato, qui erat demonstrandus. Nos quoque idem experimentum, sed, alio planè fine, aliquoties nostris auditoribus exhibuimus: Tubus vel fistula vitrea, quæ penes me est, longa est duos circiter pedes, & .10 digitos, unumq; ejus orificium tantum patens: in quod infundo argentum vivum ad summum usque, impletumq; applicato prius ad ejus orificium dito

gito, in vasculum D. (itidem, argento vivo C. plenum) immerso: tunc digito ab orificio remoto argentum vivum descendit ut altitudinem 2 ped. & 6. ad B. præter propter, digitorum servet, relinquique ita in superiori fistulæ parte A. spatiū 4 digitorum: Hic jam status controversiæ est inter nos, & Valerianum Magnum, *An hoc spatiū planè sit vacuum?* vacuum esse ab aëre nos ipsi fatemur: aér quippe ingredi non poterat, eo quod figura, & magnitudo particularum aëris proportionata non est poris vitri: an ergo ab omni corpore vacuum? neutquam: demonstravimus enim, vacuum nec dari, nec dari posse. Quid ergo dicendum: Respondemus superiorem fistulæ partem materiâ cœlesti plenam esse, quæ per poros vitri in prima generatione ab igne ad ejus figu-

O 5



ram

ram excavatos, transiit: nam Vitrum dum generatur liquidum est, & materia ignis undique circa ejus particulas fluens, innumeros ibi meatus sibi excavat, per quos materia cœlestis sæpe torrentis instar, ubi necesse est, ingreditur, sicut in hoc casu fieri, valdè probabile est. Sed *instat Valerianus.* Si superior illa pars repleta fuisset corpore aliquo, non postea potuisset illa ab aquis (vel Mercurio) occupari: quod tamen fieri, experientia docet. *Verum Resp.* qua facilitate materia illa cœlestis fuit ingressa per poros vitri, eadem potest etiam egredi, si à corpore alio prematur.

4. *An Veteres statuerint vacuum?*

Resp. Democrito vulgò hoc tribuitur, quod vacuum admiserit, illudque propugnaverit, sed negat hoc Chrysostomus Magnus *disp. 2. c. 6. obj. 2. p. 370.* docetque Democrito inane nihil aliud fuisse, quam aërem. *Vacuum, sive inane, inquit, Democrito nihil aliud fuit, quam aér:* *Duplicis autem generis vacuum ipse appellabat, alterum, quod nobis est imaginarium spatiū: alterum verò inane, sive aërem, ubi tanquam in*

in medio indifferenti omnes qualitates sese manifestarent. Et paulo post. Duplex fuit vacuum Democriti, alterum extra Mendum, quo distarent mundi à se invicem: alterum, quod in singulis mundis esset: & primum quidem vacuum imaginarium, secundum reale appellavit, unde dicebat, atomum dari, & vacuum: per vacuum intelligens medium, in quo atomi moverentur: ut patet ex illo Lucretij lib. 2.

Omnia quapropter debent per inane quietum,

Æque ponderibus non æquis concita ferri.

Et cum cæteri quoque Veteres cum Democrito, teste Aristotele, tale induxerint vacuum, quod sit corporeum, habens nempe dimensiones corporeas, quod propterea ingredi, atque egredi corpora, voluerunt, quidni & de iis judicandum, quod vacuum nullum statuerint; sed voluerint illud esse vel aërem, vel corpus aëre subtilius.

5. *An Præsens, sit tempus?*

Reſp. Plerique *præsens*, pro *vđv*, & indi- visibili puncto habent; sed *præsens* reve- ra

220 CLAVIS Philosophiae Naturalis.

ra esse tempus, vel inde constat, quod non vivamus, nisi in praesenti : quod si igitur praesens tempus non foret, in nullo vivemus tempore : Neque praesens, ut indivisible punctum, agnoscimus, quia partes habet indefinitas, non aliter ac ipsa Extensio: hoc est, ipsum praesens, divisibile adhuc est in innumeratas particulas, quae singulæ suam durationis quantitatem habent. Sed hic partis generalis esto TERMINUS.

D E O U N I
P A T R I , F I L I O , & S P I R I T U I S A N C T O
S I T
L A U S & G L O R I A .
A M E N .



I N D E X

I N D E X
Q U A E S T I O N U M,
Quæ in generali parte CLAVIS,
ventilantur.

C A P U T I.

- Q. 1. Quæstio 1. An Physica sit scientia? pag. 2
Q. 2. Quænam sint Physicæ principia? 9
Q. 3. Quænam sit rerum cognoscibilium norma? 14
Q. 4. Quod nam sit Physicæ objectum? 22
Q. 5. An objectum Physicæ admittat demonstrationem & öm? 25
Q. 6. Unde petit a sit Physicæ divisio? 31

C A P U T II.

- Quæstio 1. An privatio inter causas corporis sit referenda? pag. 33
Q. 2. An causa finalis à consideratione Physica rejici debeat? 38
Q. 3. Quæ & qualia corporis naturalis principia statuerint veteres? 41

C A P U T III.

- Quæstio 1. An tantum unica sit corporis naturalis causa efficiens? p. 47
Q. 2. An una, & eadem sit causa conservans, quæ efficiens? 48
Q. 3. An

Quæstionum.

Q. 3. An Deus sit etiam principium cognoscendi in Physicis? 49

CAPUT IV.

Quæstio 1. An Materiæ essentia consistat in extensione? p. 52

Quæstio 2. An una sit omnium corporum Materia? 59

Q. 3. An Materiæ sit substantia completa, & perfecta? 63

Q. 4. An eadem Materiæ moles in Mundo nunc reperiatur, quæ fuit ab initio à Deo creata? 65

Q. 5. Quæ Aristotelis, & Aristotelicorum de Materia sit sententia? 67

Q. 6. An dentur Materiæ partes insensiles? 72

Q. 7. An dentur Atomii? 77

CAPUT V.

Quæstio 1. Quid sit forma corporum? p. 88

Q. 2. An dentur formæ substantiales? 91

Q. 3. An Aristoteles agnoverit formas substantiales? 101

Q. 4. Quæ formarum vera sit origo? 104

Q. 5. An Peripatetici, salvis suis Hypothesibus, educationem formarum statuere possint? 106

CAPUT

I. N D E X

C A P U T V I .

- Q**uestio 1. *An præter motum localem, aliis detur motus?* p. 111
- Q**. 2. *Quæ vera sit motus natura?* 117
- Q**. 3. *An divisio motus in rectum, circularem, & mixtum sit bona?* 119
- Q**. 4. *An in omni motu detur circulus?* 124
- Q**. 5. *Quæ vera Motus causa primaria, & unica sit?* 133
- Q**. 6. *Quænam sint causæ secundariæ, ac particulares diversorum motuum, quos in singulis corporibus advertimus?* 138
- Q**. 7. *Cur motus corporum descensorius in initio sit tardior, in fine velocior?* 156
- Q**. 8. *Cur motus corporum ascensorius, in initio sit velocior, in fine verò tardior?* 166
- Q**. 9. *An motus distinguatur ab ejus determinatione?* 170
- Q**. 10. *Quid judicandum de definitione Motus Aristotelica?* 171
- Q**. 11. *An quies motui sit contraria?* 178
- Q**. 12. *An quies vinculum sit partium durorum, & continuorum corporum?* 179
- Q**. 13. *Ant tantum actionis requiratur ad quietem, quantum ad motum?* 183

C A P U T

INDEX Quæstionum.

CAPUT VII.

Quæstio 1. *An Situs, Figura, & Magnitudo, in corporibus aliquam efficaciam habeant?* p. 185

Qu. 2. *An præter Motum, Quietem, Situm, Figuram, & Magnitudinem, alia quædam accidentia, quæ realia sunt, & realiter ab iis distinguantur, dentur?* 189

CAPUT VIII.

Quæstio 1. *An Naturæ adscribenda cognitio?* p. 193

Qu. 2. *An Natura sui sit conservatrix?* 200

Qu. 3. *Quid de definitione Naturæ Aristotelica judicandum?* 201

CAPUT IX.

Quæstio 1. *Quæ Loci interni, & externi genina sit explicatio?* p. 205

Qu. 2. *An locus sit spatium?* 209

Qu. 3. *An vacuum detur?* 210

Qu. 4. *An veteres statuerint vacuum?* 218

Qu. 5. *An præsens sit tempus?* 220

INDEX

I N D E X

Rerum præcipuarum, quæ in parte gene- rali CLAVIS occurunt.

A.

- A**cceleerationem motus gravium fieri secundum numeros impares abundantate, probavit Galilæus. *Pag. 157*
- Actio tanta requiritur ad quietem, quanta ad motum. 183
- Accidentia realia non dantur. 190
- Aër non accelerat motum gravium descendenter. 164, 165
- Aër cedens non est causa, cur corporis motus ascensorius initio sit velocior. 166. Neque aër impellens. 167, 168
- Angelorum existentia ex lumine rationis probari nequit. 23
- Appetitus nullus tribui potest Naturæ. 197
- Aptitudo, prout eā à Peripateticis explicatnr, ad formæ vermis, alteriusve animalculi receptionem, non datur in ligno. 35
- Aptitudo aliqua quo sensu admitti potest. 35, 36,
- Aqua, locis calidioribus, &cestate magis subsidunt, quam hysme. 20
- Aqua minima particula, non est aqua. 85
- Aristoteles Physicam vocat scientiam. 2
- Aristoteles in Physicā non nisi probabiles admittit rationes. 3
- Aristoteles, Physicæ certitudinem mathematicam denegat. 7
- Aristoteles ab Averroe habetur pro norma. 14
- Aristoteles multa ignoravit. 15, 16
- Aristoteles à nonnullis peripateticis pro norma non agnoscitur. 18

- Aristoteles non fidcliter retulit Veterum sentencias. *Pag. 43*
- Aristoteles rarissimè meminit eorum, à quibus profecit. 44
- Aristoteles in suis scriptis non probavit existentiam forme. 97
- Aristoteles modò formas negat 101, 102, 103. modò adstruit. 104
- Aristoteles docuit, omnia moveri ab extrinseco. 135
- Aristoteles consentit nobiscum in acceptione vocis, *Superficiei*, in definitione loci externi. 208, 209
- Aristotelici litigant de singulis definitionis Naturæ particulis. 202, 203
- Artificialia non distinguuntur realiter à naturalibus. 99
- Artefactorum operationes conficiuntur instrumentis sensibilibus. 99
- Atomiquo sensu non dentur. 77
- Atomiquo sensu dentur. 77, 83, 84
- Atomos non dari, rationibus variis probatur. 78, 79
- Atomorum defensores refutantur. 81
- Atomini non sunt vinculum partium corporis duri, & continui. 182
- Atomi si essent vinculum, corpus non nisi vincula esset. 183
- Atomorum, sive potius, particularum insensibilium figuræ irregulares, non inferunt vacuum. 212
- Axiomata quid sint, & quoisque se extendant. 19

B.

- B**aco numerum motus nimium auger. 111, 112
- Basso, spiritum communem statuit vinculum partium corporis duri, & continui 189, refutatur. 192
- R

Index Rerum.

Bootiorum fratum error de cor-
pore. Pag. 23

C.

Categoriaz tantum dantur duæ.
58

Categoriaz 10. quatenus finguntur
esse entia realia, rejiciuntur. 57, 58

Categoriarum numerus denarius
certo sensu retineri potest. 59

Causa efficiens Corporis, est etiam
ejusdem conservans. 48

Certitudo cognitionis rerum physi-
carum in quo confitatur. 6

Circulus datur in omni motu. 124
non tantum mathematicus; sed
quibus aliis. 125

Per Circulum multa admiranda ef-
fecta explicatur. 126, 127, 128, 129

Circulus corporum movendorum fit
vel cum, vel sine condensatione.
131, 132

Circulo impedito nullus fit motus.
129

Clavis hæc naturæ, talia exhibet
principia, ex quibus omnia Na-
ture phænomena tam præterita,
præsentia, quam etiam futura
explicari possint. 9

Cogitatio uniuscujusque, ipsi Veri-
tatis alicujus Physicæ norma ef-
fe debet. 21

Cogito, Ergò sum, est prima Veri-
tas. 27

Cogitare qui definit, nullum habet
argumentum, quo probet se ex-
istere. 28

Cogitatio nostra multis dubitatio-
nibus est obnoxia. 28

Cogitatio nostra de Ente perfec-
tore, non est à nobis; sed ab eo, cu-
jus natura reverè perfectior est.
28

Cogitatio est triplex Sperlingio. 24

Cogitatio non potest tribui Naturæ.
193, 194, 195, 196, &c.

Cogitatio non discursiva, Naturæ
nequit tribui. 196

Communicatio impetus, sive mo-
tus obviis corporibus, est causa
eius motus ascendentium, defi-
ciat. 169

Compositum substantiale non re-
quirit necessariò materiam, &
formam substantialem. 97

Conclusio ex principio non eviden-
ti deducta, esse nequit evidens. 15

Conimbricentes brutis attribuunt
discursum syllogisticum. 193, 196

Conservatio nihil aliud est, quam
continua quadam creatio. 48

Contrarietas inter motum & quie-
tem datur duplex, Physica, &
formalis. 178

Corpora cur facilè in fluido ad mo-
tum impellantur. 146, 147

Corpora spontè motus suos non in-
termittunt. 149, 141

Corpora omnia tendunt semper
moveri secundum lineas rectas.
141, 142

Corpora in orbem acta tendunt
semper recedere à centro sui mo-
tus. 142, 143

Corporis existentia demonstrari
non debet sensu testimonio. 26

Corporis humani existentia proba-
tur. 30

Corpora quo frigidiora, eo durio-
ra. 10

Corpus tam latè sumi non debet,
ut & Angelos, & Mensem huma-
nam sub se comprehendat. 23

Corpus in genere, &c in specie con-
sideratum distinguitur. 31

Corpus præter motum proprium,
potest adhuc innumeros alios
motus habere. 118

Corpus sursum levitur projectum,
omni remoto impedimento, eo
motu, ad stellas pergeret move-
ri. 170

Corpuscula minutissima cur non
videantur. 76

Corpuscula quo magis in corpore
quiescent, eo Corpus magis con-
tinuum & durum est. 181. quo
minus quiescent, eo minus con-
tinuum & durum. *ibid.*

Credendum Deo dicenti, et si lumen
naturale illud non capiat. 50

De-

Index Rerum.

D.

Definitiones corporum, dantur substantiales. *Pag.* 100, ut & essentiales. 101

Dei existentia probatur. 28, 29

Democritus laudatur ab Aristotele. 44

Determinatio distinguitur à motu. 170, 171

Deus, Mens, & Angeli non pertinent ad objectum Physicæ. 23

Deus menti nostræ ideam rei non existentis, ut existentis exhibere nequit. 30

Deus ut causa efficiens in Physicis tantum debet considerari. 30

Deus est causa efficiens corporis in genere considerati. 47

Deus est causa conservans corporis. 48

Deus est principium cognoscendi in Physicis. 49

Deus potest materiam continuo minorem dividere. 79, 80

Deus est causa primaria, &c unica motus. 136

Discretionem primam rerum omnium, Naturæ adscriperunt Veteres. 46

Discursus syllogisticus, Naturæ nequit tribui. 195

Distinctio realis quæ sit. 56

Dubitatio est species quædam cogitationis humanæ. 27

In dubiū revocanda omnia ea, quæ per sensus olim cognovimus. 26

Dubitans non potest esse N H I L; sed oportet ut existat. 27

Dubitatio præsupponit naturam imperfectam. 28

Durum corpus absolutè, non datur. E. 128

Eductio formarum variè à Peripateticis explicatur. 107, 108

Eductio formarum statui nequit, salvis hypothesis Peripateticorum. 106

Efficiens causa corporis in genere considerati tantum una est 47. non potest esse multiplex. *ibid.*

Efficiens causa corporis est etiam e- jusdem causa conservans. *Pag.* 48

Ens per accidens quid sit. 101

Error de cognitione naturali, aut sensitivâ, unde fluxerit. 197, 198

Existentia rerum materialium de- monstratio, superstruenda est certis quibusdam principiis. 29

Existentia rerum materialium de- monstratur. 30

Experiencia quid sit, &c circa quæ versetur. 11

Experiencia secundarium Physicæ objectum sunt. 13.

Experienciae, communes, & vulga- res, praestant raris, &c abstrusis. 14

Experienciae, quas pro Atomis ad- ducit Sperlingius, non ostendunt eas dari. 87

Extensio est ipsa materia. 52

Extensio duobus modis specta- tur. 57

F.

Figura est efficax. 187, 188

Finalis causa à consideratione physica rejici debet. 38

Finis unius corporis, quem fibi Deus in eo condendo proposuit, non est nobis magis cognitus, quam finis alterius corporis. 39

Fluidorum corporum quæ sit natu- ra. 146

Formæ peripateticis sunt incogni- ta. 88, 89

Forma est comprehensio motus, quietis, item situs, figure, &c ma- nitudinis partium. 89

Forma, materiae est accidentalis; sed corpori essentialis. 89, 90

Formæ substantialis probatio non exstat in Aristotelis scriptis. 97

Formas modo negat Aristoteles 101, 102, 103, modò adstruit. 104

Formas substantiales non dari, ar- gumento valido ostenditur. 93,

94, 95

Formarum substantialium nullus est usus 92. postluntque fine illis omnia explicari. 93

Forma alia non requirit aliam ma-

te-

Index Rerum.

- teriam. *Pag.* 62, 63
Formæ , originem partim debent creationi, partim educationi. 105,
 106
Formæ , juxta Lippium , non perreunt; sed remanent post earum à materia separationem. 95
Formæ vermis privatio non datur in ligno, vel caseo. 35, 36
Fortuito atomorum concursu , Mundum conflatum esse , non docuerunt Veteres. 45
Frigidius quo corpus est, eo magis durum, & continuum. 181
 G.
Genera rerum summa , tantum dantur duo. 58
Globi ferrei 100 , & 10. librarium , unum, idemque spatium , ab eadem altitudine demissi , eodem , & æquali tempore demetiuntur. 158, 161. quæ hujus rei sit ratio. 158
Globum ferreum 100 , vel 10 librarium , si ex luna decideret , breviori , quam 4. horarum spatio , ad Centrum Terræ pervenit, demonstrat Galilæus. 158, 159, 160
Globus ex turri decidens cur motum acceleret. 162, 163
Globus à manu sursum projectus , tandem tardissime movetur 169
Gravitas intrinseca non est causa desensus corporum. 160
Gravium desensus vera causa quæ sit. 161, 162
Gravium motus deorsum accelerationis quæ sit causa. 162
 H.
Horologio motus est intrinsecus. 99, 100
 I.
IDeæ nomine quid intelligatur. 28, 29
Idea Dei est in mente nostra. 28
Idea materiæ , & corporis est in mente nostra, & nobis, etiam invitis, occurrit. 29, 30
INFINITUM Anaximandris cu-
 jus naturæ fuerit non consentiunt autores *Pag.* 42. Judicatur tamen fuisse, seminarium corporum simplicium infinitorum. *ibid.*
Innovatio actionis materiæ coelestis est causa , cur gravia descendenter motum accelerent. 162
Insensiles particulæ dantur. 18, 19,
 20, 72, 73, 74
Intellectus , & cogitatio nostra sola , est norma rerum cognoscibilium in Physica. 20
 K.
Kyperus dubitat , num finis numerari debeat causis corporum 41. & tamen inter causas Corporum define agit, *ibid.* obque illud taxatur, *ibid.* Statuit dari qualitates fundamentaliter occultas. 191. refutatur. 191, 192
Kyperus divisione in loci interni & externi non bene intellexit. 205
 L.
LApis salivâ orbiculo coriaceo agglutinatus cur interdum decidat. 133
Lignum non potest dici habere apertitudinem ad formam vermis , sensu peripatetico. 36
Lignum facile finditur securi longum habente manubrium. 164
Lippius statuit omnes formas, postquam à materia separatae sunt , remanere. 95
Localis motus solus est motus. 111,
 112, 113
Locus internus , & externus. 205,
 206, 207, 208
Loci divisio in internum , & externum non est nova. 207
Locus uno , & eodem tempore dici potest mutari, & non mutari. 206
Locus non est spatium. 209
 M.
Materia, Physicæ objectum in adæquatum est, 22
Materia cum forma , Physicæ objectum adæquatum est. 23
 Ma-

Index Rerum.

- Materia**, nec est situs, nec figura, nec motus, nec divisibilitas neque; nulla qualitas patibilis. *Pag.* 52, 53
- Materia** est ipsa extensio. 52, 54
- Materia**, modò ab Aristotele confunditur cum extensione, modò ab ea distinguitur. 68, 69
- Materia** non est subiectum extensionis. 55
- Materia**, omnium corporum, est una. 59
- Materia** est substantia completa, &c perfecta. 63
- Materia** aliquo sensu dici potest substantia incompleta. 64. Sed præstat tamen ab illa phrasi abstinere. 65
- Materiæ** quantitas eadem nunc est, quæ fuit ab initio. 65. ejus causa. 66
- Materia** definitur ab Aristotele negativè, &c positivè 68. sed utraque definitio peccat, *ibid.*
- Materia** Aristotelicorum est monstrum. 70
- Materia** juxta Peripateticos ne ad momentum sine forma subsistere potest. 37
- Materia** non agit in virtute sua; sed in virtute accidentium, & modorum, 188, 189
- Mens humana** non potest comprehendendi sub corpore. 23, 24
- Mens humana** concipitur à multis ad instar Venti, ætheris, aut ignis. 24
- Mens nostra** à pueritia usque de rebus corporeis cogitare fuit solita. 24. Hujus erroneæ perceptionis causa quæ sit, *ibid.*
- Metaphysica** peripatetica, existentiam corporis probare nequit. 25
- Quæ**, & qualis Metaphysica, eam probare potest. 26
- Modi** non sunt efficaces in virtute materiæ. 188
- Motus** est translatio. 118
- Præter Motum** localem, nullum aliud agnoverunt veteres. 115
- Motus species** à Bacone nimium augentur. *Pag.* 111, 112
- Motus** 5. species vulgares non nisi variii motus localis modi sunt. 114
- Motus** divisio in rectum, circularem, & mixtum, probatur. 119
- Motus naturalis** quo sensu concedi potest. 119
- Motus circularis** fortè etiam mixtus esse potest. 122
- Motus causa primaria, &c unica,** est Deus. 136
- Motus** eadem quantitate, qua fuit creatus, nunc à Deo conservatur. 136, 137
- Motus novus** non fit, neque ullus perit. 137
- Motuum** diversorum, in singulis corporibus adverti solitorum, causæ secundariæ, & particulares. 138, 139. Consistuntque illæ in certis legibus Naturæ generalibus, & Motus specialibus. *ibid.* & seqq.
- Motus** distinguitur à determinacione. 170, 171
- Motus definitio** Aristotelica propontitur. 171, 172. examinatur. 173, 174. est nimis generalis, tribui potest, stantibus Hypothesibus peripateticorum, & motui Angelorum, & Formæ corporum. 175, 176
- Motus quieti** est contrarius. 178
- Motus** initium distinguendum ab eius continuatione. 184
- Motus horologii** est intrinsecas. 99, 100
- Mundum** ex fortuito atomorum concursu conflatum esse, non docuerunt Veteres. 41
- N.**
- Naturalia** non distinguntur realiter ab artificialibus. 99
- Naturalia** æquè bene ab extrinseco principio moventur, quam artefacta. 29
- Natura** quo sensu sui sit conservatrix. 200
- Natura** dividendam materiam, propongetur in indefinitum. 82

Index Rerum.

- Naturæ nulla adscribenda cognitio. Pag. 1
Pag. 193, 194, 195
- Naturæ regulæ 3. generales. 139,
140, 141
- Naturæ regulæ speciales 7. quo ad
 varias motus in corporibus mu-
 tationes, & variationes. 149,
150, 151, 152, 153, 154, 156
- Naturæ definitio Aristotelica est
 ambigua, & tautologica. 201,
202, 203, 204
- Navis semel protrusa cur tandem à
 motu cesset? 165
- Norma rerum cognoscibilium in
 Physicis, non est Aristoteles. 15
 non sensus. 18, sed intellectus, si-
 ve cogitatio nostra. 20
O.
- O**bjectum Physicæ aliud est ad
 æquatum, aliud inadæquatum.
22, 23
- Objectum Physicæ est demonstra-
 bile. 25
- P.**
- P**articulæ insensiles dantur. 18,
19, 20, 72, 73, 74. earum va-
 ria exempla, *ibid.*
- Particulæ minutissimæ, cur non
 videantur, & sentiantur. 76
- Particulæ respectu certi alicujus
 corporis, certam requirunt, &
 determinatam magnitudinem. 83
- Pererius facetur Aristotelis Physi-
 cam, non esse scientiam. 2, 3
- Peripatetici nonnulli Aristotelem
 pro norma non agnoscunt. 18
- Peripatetici, sensus pro norma co-
 gnoscibilium in Physicis afflu-
 munt. 18
- Peripatetici, salvis suis hypothesi-
 bus, educationem formarum ne-
 queunt statuere. 106, 107
- Philosophus præjudicia infantiae
 debet deponere. 24
- Philosophi in practicis divisionem
 sumunt à fine. 31. in speculativis
 verò, ab objecto, *ibid.*
- Philosophi cur Naturæ attribuerint
 cognitionem, vel appetitum.
197, 198
- Physicæ definitio. Pag. 1
- Physica formaliter considerata, est
 scientia. 2
- Physica Aristotelis non est scien-
 tia. 2
- Physica Peripateticorum, non est
 scientia. 4
- Physica, quæ rerum cognoscibi-
 bilium certa cognitio non est,
 Physica nomine digna non est. 6
- Physica Aristotelis, plurima, quæ ad
 naturæ cognitionem spectant.
 omisit. 16
- Physica idem cum Geometria ob-
 jectum habet. 7
- Physica nititur cum generalibus
 quibusdam axiomatibus, cum
 quibusdam specialibus Physicæ
 propriis. 12
- Physica secundariò tantum Expe-
 rientiis utitur in Naturæ explica-
 tione. 13
- Physicæ divisio. 1. & 31.
- Physicæ divisio in Empyricam,
 Doxasticam, & Epistemonicam,
 est tantum nominalis. 32
- Physicus in hac vita ad certitudi-
 nem Mathematicam aspirare
 potest. 7, 8
- Physicus non tenetur omnium om-
 nino particularium effectuum
 veritates cognitas habere. 8
- Principiorum differentia duplex,
 alia, Axiomata, alia, Experi-
 entia. 10
- Principia peripatetica nullam ex-
 hibere possunt, questionis Phy-
 sicæ solutionem. 4
- Præfens est tempus. 219, 220. non
 est indivisibile punctum, *ibid.*
- Principia esendi, & efficiendi, de-
 bent quoque esse principia cog-
 noscendi. 40
- Privatio inter causas corporis na-
 turalis referri non debet. 33
- Privatio Aristoteli est NON ENS.
33
- Privatio non adest corporibus in
 generabilibus. 34
- Privatio non est principium, vel
 cau-

Index Rerum.

causa generationis , licet nulla generatio sine eâ fieret. <i>Pag.</i> 34,	tur è loco. <i>Pag.</i> 147, 148
35	Scientia nulla datur fine principiū certis, &c indubitatis. 9
Privationem evertunt propriæ Peripateticorum hypotheseſ. 37	Securis longi manubrii faciliter findit lignum. 164
Privatio admittitur, quatenus est generationis, vel alterius mutationis Terminus à quo. 38	Seminis debitus situs quid in generatione valeat. 187
Q.	Sensus habentur à Peripaticis pro normâ cognoscibilium in Physis.
Qualitates patibiles , à matetia separabiles sunt. 53, 54	<i>cis.</i> 18
Qualitates à motu, quiete, figura, situ, & magnitudine distinctæ, non dantur. 189	In sensu duo distinguendi gradus. 21
Qualitates occultæ quo sensu dentur. 190	Sub sensum plurima non cadunt. 18
Qualitatem occultarum multæ, per nostra principia, manifestæ redditæ sunt. 191	Sensus sunt fallaces. 18
Qualitates non dantur fundamentaliter occultæ. 191	Sensus nihil firmi probant. 26
Qualitates Peripateticorum manifestæ reverè sunt occultæ. 192, 193	Sensuum testimonio credi non debet. 26, 27
Quæſtio Anſit , præſupponit quæſtionem quid sit. 92	Situs est efficax. 185, 186, 187
Quies motui est contraria. 178	Sperlingius tot statuit diversas materias, quot dantur formæ 60. refutatur. 60, 61, 62
Quies est vinculum partium duri & continui corporis. 179	Sperlingius docet, dari atomos. 81 refutatur. 82, 83, 84, 85, 86, 87
R.	Sperlingii hypothefis de atomis mixtis, evertit atomos. 85, 86
R Arefactio quid sit. 213, 214	Sperlingius non explicat, cur impetus in corpore sursum projecto deficiat? 168
Regius dicit, nos vim movendi, & quiescendi ex sola magnitudine corporis estimare. 145. sed refellitur. 145, 146, 147	Stellæ, & cometæ noviter in cœlo conspecti, non arguunt, Materiam de novo productam. 67
Regulæ tres generales naturæ. 139, 140, 141	Substantia extensa & intellectuālis non admittit medium. 93
Regulæ speciales 7. quoad varias motus in corporibus mutationes. 149, 150, 151, 152, 153, 154, 155	Superficies in definitione loci externi quomodo accipienda. 208
Regularum harum consideratio non est orioſa. 155	V.
Romana, quale sit instrumentum. S. 186	Vaccum non datur. 210
S Anguinis copia magna insensibiliter exhalat ex nostris corporibus. 19, 20	Vaccum non statuisse Veteres docent aliqui. 218, 219
Saxum grande in aëre ex fune suspensi cur facile dígito dimoveat-	Valeriani magni experimentū pro Vacuo refellitur. 215, 216, 217
	Veritas prima quid sit. 27
	Vermis quomodo in ligno generetur. 36
	Veterum sententias non fideliter retulit Aristoteles. 41
	Veteres duo rāntūm principia corporum, Materiam, & formam, agnoverunt. 41, 42
	Veteres non agnoverunt causam ef-

Index Rerum.

efficiētem.	Pag. 45	ceptionem sequi debet.	22
Veteres præter motum localem, nullum alium agnoverunt.	115, 116	Vulgus, res materiales existere, ex sensu visus, judicat.	26
Veteres non docuerunt, Mundum ex fortuito atomorum concursu conflatum esse.	45	W.	
Vita vermis, in ligno generati, in quo consistat.	36, 37	Watsonius defendit definitio- nem motus Aristotelicam.	
Vitrum poros habet aptos transitus materiæ coelestis.	217	177. refutatur, <i>ibid.</i> &	178
Unusquisque propriam suam per-		Weinrichius negat corpora descen- dentia initio tardius, infine vero velocius moveri.	156. refellitur,
		157, 158, 159, 160, 161, 162	

F I N I S.



A M S T E L O D A M I,

Expressit CHRISTOPHORUS CUNRADUS, Typo-
graphus, in Fossa vulgo dictâ de Negelantiers-gracht,
cl. I C L V.

AB 32

192